image
not
available

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XII
B
24
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

CLERICUS ROMANUS

CONTRA NIMIUM RIGOREM MUNITUS

DUPLICI LIBRO

QUORUM UNO

VETERIS ECCLESIÆ SEVERITATEM,

ALTERO

PRÆSENTIS ECCLESIÆ BENIGNITATEM

A Rigidiorum quorundam Scriptorum Calumniis vindicat

P. BALDASSAR FRANCOLINUS

SOCIETATIS JESU THEOLOGUS.

Bibl. Soc. J.

ROMÆ, MDCCV Typis Cajetani Zenobii SS. D. N. CLEMENTIS XI. Typographi, & Scalptoris, ante Seminarium Romanum.

SUPERIORUM FACULTATE.

DIVO PETRO
APOSTOLORUM PRINCIPI.

AUDACIAE meę veniam, ut ſpero, dabis APOSTOLORUM PRINCEPS ſanctiſſime, quòd ad te accedere non reformidem, quòd Pedes exoſculer Tuos, quòd has meas

Diſputationes dedicem Tibi. Ut enim accedam Benignitas tua facit: ut Pedes exoſculer Tuos, meus in te amor facit; ut has Diſputationes dedicem Tibi, plura faciunt. Et primò Religio; ſiquidem jam dudum me totum Tibi mancipavi. Secundò neceſſitas Patrocinii Tui. Tertiò Argumentum ipſum. Defendunt illæ Veterem Eccleſiam & ab ea crudelitatem arcent. Defendunt Eccleſiam præſentem, & ab ea laxitatem propulſant. Eccleſiam tuam defendunt. Te ſuperſtitem in utraque defendunt, aut potius defendere geſtiunt. Sed quem defendere geſtiunt, non defendent, niſi defendantur. Inſurgent in illas hoſtes multi: accuſabunt audaciæ, temeritatis, laxitatis. Incaſsùm tamen, ſi telis opponas Clipeum Patrocinii Tui. Id efficere, penè dixerim, debes, ut Te, Tuaque defendas, & honorem Divinum. An non Divini honoris defenſio ſit defenſio Sacramenti, defenſio Pœniten-

nitentiæ, à qua rigor abſterret, ut fortè abſterritus ipſe fuiſſes, niſi tecum quamvis inconſtanti, & perjuro benignè, & miſericorditer egiſſet Magiſter Tuus Divinus? Ex ejus benignitate factum fuit, ut Gallicinio excitareris, ut reſipiſceres, ut fleres, ut redires, ut reciperereris, ut veniâ donareris, ut diſceres cum aliis eſſe benignus. Fuiſti jam, ſepties, & ſeptuagies ſepties ignoſcens, primus omnium in Concilio pro benignitate pugnans, & onere Moſaicæ Legis Gentiles Neophitos liberans. Sis etiam modò de Cœlo, favens agenti cauſam Pœnitentium, & vindicans à calumniis vindicem ſanctæ benignitatis.

MICHAEL-ANGELUS TAMBURINUS

Vicarius Generalis Societatis JESU.

CUM Librum, cui titulus: *Clericus Romanus contra nimium Rigorem munitus*, Authore P. Balthaſſare Francolino Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet ita videbitur, cujus rei gratiâ has literas manu noſtrâ ſubſcriptas, & Sigillo noſtro munitas dedimus.

Romæ 11. Decembris 1704.

Michael-Angelus Tamburinus.

Im-

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Viceſgerens.

CUM ex Commiſſione Reverendiſſimi Patris Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri, Paulini Bernardinii Ordinis Prædicatorum, mihi remiſſa fuerit reviſio libri, cui Titulus eſt. *Clericus Romanus contra nimium Rigorem munitus*, *Auctore P. Baldaſſare Francolino Societatis Jeſu Theologo*, Ipſum legi, & accurate perlegi, doctrinam, eruditionem, perſpicacitatem, cum Veritate conjunctam Auctoris admirans, omnibus Eccleſiaſticis, proindè, & Confeſſariis præcipuè, perutilem fore duxi, & publicæ luci, ad Moralis Theologiæ Profeſſorum, profectum, communeque commodum, dandum cenſeo.

Datum ex Conventu SS. XII. Apoſtolorum Romæ, die 8. Decembris 1074.

Frater Ludovicus Ceva, Sac Theol. Mag. Ord. Min. Con. & Sac. Cong. ſuper Indicem, Conſultor.

§ 4 Juſſu

JUſſu Reverendiſs. P. Sac. Pal. Apoſt. Mag. legi librum cui titulus eſt. *Clericus Romanus contra nimium Rigorem munitus*, *Auctore P. Baldaſsare Francolino Societatis Jeſu Theologo*. Nihil in eo deprehendi fidei morumque diſciplinæ repugnans, quin potius adeò operosè, ac doctè compoſitum, ad evadendam utriuſque partis nimiam laxitatem & extremum rigorem, ut Chriſtianæ Eccleſiæ ſtudioſis plurimum conferre valeat. Quamobrem ad ampliorem eorum eruditionem & fructum ut ad lucem prodire poſſit, eidem ſubſcribo.

Frater Hyacinthus Fonſeca Sac. Theol. Mag. & ex Provincialis Ord. Præd.

Imprimatur.

Fr. Paulinus Bernardinus Ord. Præd. Sac. Apoſt. Pal. Mag.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.

ADvertas quæſo animum, Lector humaniſſime, iis de quibus præmoneri debes omnino, antequam librum hunc meum evolvere incipias.

Et 1. *velim ut animum afferas nulli Parti addictum, nec benignitatis ſtudioſum, nec rigoris amantem. Velim te benignum in me, ut ingenium, ſtilum, aliaque hujuſmodi excuſes, quæ fortè meliora deſideres, at nihil benignum in ea, quæ leges, ſed etiam nihil malignum; nec excuſare, nec accuſare paratum: nec te Actorem volo, nec Advocatum, Judicem volo.*

2. *Judicem te volo, ſed nec ſtatim, ut aliquid legeris, nec poſtquam multa legeris, ſed cùm omnia legeris, & quæ legeris expenderis, habitâ ratione temporum, & locorum diverſorum. Id niſi feceris, contraria & ſecum pugnantia me ſcribere dices. Opus autem erit lectione*

con-

Digitized by Google

continuâ, aut non nimis diſjunctâ. Nam qui unam hodie diſputationem, alteram poſt menſem legit, quamvis omnes libri partes legat, totum librum non legit. Nec velim percurrendo legas. Totum te iſta poſtulant, non oculos tantum. Sed quid, ſi totum librum ſic legere nequeas? Nihil, rogo, legas; aut non legas, ut judices; imo nec ut loquaris de libro quidquam. Hoc ſane difficile, fac ergo illud quod eſt facillimum, nihil legas.

3. *Si verò librum perlegere totum vacat, ut id faciliùs præſtes, quamvis quid intendam, libri titulus, primæ paginæ inſcriptus, doceat, docebo tamen explicatiùs, quidque me ad ſcribendum impulerit, dicam. Cœpere jam ab aliquot annis in Belgio quamplurimi, non pauci in Galliis, aliqui in Italia, ut à quibuſdam ſuis doctrinis ſpeculativis, quas exagitari videbant, omnem erroris ſuſpicionem propulſarent, rigorem quendam in doctrinis moralibus profiteri, Recentiores, quibus exa-*

gua-

gitabantur, in invidiam vocare omnes, omnes præter ſuos, appellare palpones, laxones, Patrum deſertores, & rurſus Sacramentum Pœnitentiæ rigidiùs quàm par eſt adminiſtrare, quodque pejus eſt, ita adminiſtrandum docere, unde ingentes turbæ excitatæ, inducti plurimi Confeſſarii, ut ab hoc tam neceſſario, tamque utili ſacramento adminiſtrando ſubducerent ſe ſe, ne ſe in laqueos induerent, & plurimi Pœnitentes ab hoc ſacramento tam rigidè, nempe poſt plures ſcrutationes, probationes, dilationes adminiſtrato, ita abſterriti, aut revocati, ut in aliquibus Parochiis per aliquot annos aliqui hoc ſacramentum, Parocho ipſo approbante, nunquam ſuſceperint, ut Epiſcopus qui Romæ nunc primaria dignitate, & morum gravitate, prudentiâque eminet, diœceſim hoc morbo laborantem luſtrare, & curare olim juſſus, teſtatur. Id me movit, non quidem ut tanto malo mederer (quis enim ego ſum, qui id mihi promittam?) Sed ut ſcriberem

ali-

aliquid, quo morborum hujuſmodi curandorum peritiores juvari poſſint, ut Apothecarii, & Pharmacopolæ juvantur ab infimis quibuſque Ruricolis, qui ſimplices herbas poſtea ſeligendas aſportant.

4. *Quia verò hujus rigoris Magiſtri putant, & firmiſſimè putant, exemplum ſequi ſe veteris Eccleſiæ, quam in doctrina morali, & præſertim in hujus ſacramenti adminiſtratione rigidiſſimam fuiſſe dictitant, & longe aliam à præſenti Eccleſia quam vocant nimis benignam, id à me curandum maxime ſtatui, ut hujus erroris fundamentum ſubruerem, oſtenderemque, nec veterem Eccleſiam fuiſſe adeo rigidam, ut ipſi putant, nec præſentem Eccleſiam eſſe adeo benignam, ut emendari debeat. Illud primum oſtendet primus lider duodecim diſputationibus, quibus duodecim antiquæ Severitatis (ut putant) articulos, rejicit, ut veras in veterem Eccleſiam Calumnias. Hoc alterum alter liber demonſtrare conabitur duodecim aliis*

diſpu-

diſputationibus,quibus totidem calumnias contra præſentis Eccleſiæ benignitatem excogitatas diſſipare contendet. Ille autem finis eſt, ne rigidus ſis, nec laxus, ſed diſcretus. Diſcretum ergo Doctorem induo cum Rigido Doctore diſputantem, ut utriuſque indolem & ſenſus perſpicias meliùs, & jucundiùs. Id enim dicendi genus gratius eſſe ſolet Lectori, cui non videtur doceri ipſe, ſed alius quiſpiam ad colloquendum vocatus, & rurſus ſtilum Dialogus admittit liberiorem, & aliquo ſale reſperſum, ut à Lectoribus tædium arceat. Hinc habes, cur aliquando Doctorem rigidum vellicem: non illum inceſſere, aut lædere volo, ſed excitare te forte addormiſcentem.

5. Nec putes me illis omnibus infenſum, quorum opiniones rejicio. Æſtimo eos, amoque, ut debeo, præſertim Morinum, hominem non eruditum tantùm, non cupidum novandi, non contemptorem Recentiorum, non ita rigidum, ut ſit etiam

Rigo-

Rigoriſta, ſed acris ingenii virum, æquioris judicii, indolis moderatæ, eo ſolo nomine à me ſepè impugnatum, quod antiquum Eccleſiæ rigorem majorem vero facit, quo Rigoriſtis, quamvis nolens, plurimùm favit, eiſque aut errandi, aut perſeverandi in ſuis erroribus anſam præbuit. Merbeſium quoque, & Jueninum ſua laude dignos judico; ac propterea calori diſputationis tribuatur, ſi quid excidit, quod minùs reverenter dictum videatur. Bona eos mente ſcripſiſſe non ambigo. Sed id ſatis non eſt, ut quæ ſcribuntur utilia ſint. Patrum quoque, & Conciliorum doctrinam ſe profiteri dicunt, eorumque ſententias proferunt. Sed hæc vetus etiam eorum qui Patres, & Concilia deſeruere, cantilena eſt. Quos litera occidit (occidit autem multos) hoc prætextu occidit. Periere, dum ſuos textus, ut ſonant, pluris habuere, quam præſentis Eccleſiæ, & Pontificum interpretationem, ſuæque antiquitatis amore capti nihil de Recentiorum

judi-

judicio, ut paulo ante dicebam, clamoribus, cenſura laborandum putarunt.

6. *Hinc habes, cur me aliquando, inter legendum, excuſare debeas. Ut enim tam periculoſæ multorum perſuaſioni irem obviam, declinandum mihi fuit in alteram partem, & pro Eccleſia præſenti, pro Doctoribus recentibus, aut minus antiquis, ſed ingenti ſanaque doctrina præditis (ut multi ſunt,) acriter pugnandum fuit. Quâ enim aliâ ratione poſſem nimii Rigoris fundamentum convellere? Ne igitur mihi ſuccenſeas antiquitatem non ita liberaliter laudanti, ut cæteroqui vellem & noſtram ætatem non quidem in pluribus, & præcipuis, ſed tamen in aliquibus præferenti. Nihil detractum volo de ea, quam vetus Eccleſia poſſidet, ſanctitatis, & ſubrigidæ diſciplinæ famâ, nec ita demens ſum, ut minuere velim Patrum authoritatem. Antiquam Eccleſiam laudo, ſed non eam quam rigidi Cenſores fingunt, crudelem & implacabilem in humiles,*

Digitized by Google

miles, in dolentes, pœnitenteſque, ſed eam quæ verè extitit, ſeveram citra vim, citra ſanguinem. Et rurſum ita eam laudabilem cenſeo, ut laudabilem etiam præſentem Eccleſiam putem, imo credam, cùm hæc diverſa, aut diſtincta ab ea non ſit, ſed temporum diverſorum; ſenior, non autem deterior. Patrum ſimiliter ſcripta plurimi facio, ſed non textus Patrum aut mutilos, aut immutatos, aut ambiguos. Uno verbo diſcedo ab Hæreticis, & Novatoribus. Hi damnare ſolent Eccleſiam cum qua vivunt, à qua damnari poſſunt, provocare ſolent ad Eccleſiam antiquam, ad non loquentem, à qua nihil timent. Ego verò ab Eccleſia veteri non recedo quidem, ſed præſenti me ſubjicio, qua judicari poſſum, & corrigi, quin ideo me, & quæ ſcribo, ejus judicio ſubmitto, ut corrigar, ſi delinquo. Nec caſtigatus reſiſtam, ſed illico quę male ſcripſerim, emendabo. Hoc ego animo ſcripſi, ſimili, aut etiam meliori tu lege, & in æternum vale.

CLE-

CLERICO ROMANO.

QUòd Tibi, præ cæteris univerſæ Eccleſię Clericis, has meas Diſputationes legendas præbeam, non miraberis, ſi bene noſti Eccleſiam, cujus te ſervitio dedicaſti, nec ignoras harum mearum Diſputationum argumentum.

Nimium hæ rigorem in adminiſtrando præſertim Sacramento Pœnitentiæ quotidie magis invaleſcentem inſectantur, & ſanctam benignitatem ab antiquiſſima priorum ſeculorum Eccleſia non rejectam, imo invectam, pluribus ab hinc ſeculis ab omnibus Orbis Terrarum Eccleſiis adamatam propugnant. Debent igitur legi, & perlegi à Te, qui ei ſervis Eccleſiæ, quam nunquam Rigoriſmus afflavit, quæ alios eo correptos ad mitiora conſilia revocavit, quæ tandem benignitatem in Populos ſibi ſubjectos, & præſertim in Pœnitentes exhibuit ſemper maximam ita, ut

Digitized by Google

Romæ ſacræ decus fuerit *Parcere ſubje-ctis*, ut Romæ profanæ munus fuit *Debellare ſuperbos*. His tribus prærogativis commendatam ſemper Romanam Eccleſiam fuiſſe, Tibi breviter oſtendo, ut Eccleſiæ tuæ decora tuearis, ut hos meos libellos adames, quos ſoli oderint hoſtes Eccleſiæ Tuæ.

Alias quidem Eccleſias, nec paucas, aliarumque Eccleſiarum Doctores, Epiſcopoſque nimius quandoque rigor decepit. Rigor Montani Tertullianum corripuit, virum antea cuſtodem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & vindicem Religionis; quin & Eccleſias multas, ut refert S. Hieronymus ad Cteſiphontem ſcribens, & ex eo Card. Baron. ad ann. 173. n. 3. Epiſcopos non paucos circa eadem tempora non quidem rigor Montani multiplicandorum præceptorum cupidus, ſed alter ęquè damnabilis invaſit, quo ſuadente venia Peccatoribus utcunque pœnitentibus negari cepit, præſertim in Aphrica, primò quidem non omnibus, ſed ſolis lapſis in quæſtione fidei, aut mœchis, inde omnibus, quos maturè non pœniteret ſuarum culparum, tandem omnibus abſolutè. Primos Rigoriſtas in Lapſos redarguit Cyprianus epiſt. 54. ad Cornelium

Pon-

Pontificem *ut importunos, vel etiam inhumanos cenſores*. Aliorum, qui *in totum Pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt* meminit idem Cyprianus epiſt. 52. ad Antonianum, uti etiam aliorum inter quos fuit ipſe, quibus viſa fuit pœnitentia ſera pœnitentia nulla. Poſtremos nempe Novatianos ex Rigoriſtis Schiſmaticos, inde Hæreticos, aut priùs Hæreticos inde Rigoriſtas (utrumque enim contingit) Patres omnes, ſynodique perplures damnarunt.

Ut Aphricanam Eccleſiam ita Græcam nimius quorundam rigor non ſemel perturbavit. Primi fuere Phariſæi quidam Antiocheni ad fidem converſi, ſed Legis Moſaicæ, & paternarum traditionum vindices importuni, quorum ea perpetuò in auribus Gentilium Neophytorum vox reſonabat, *niſi circumcidamini, ſecundùm morem Moyſi, non poteſtis ſalvari*. Ejuſdem farinæ doctores perturbavere Galatas, quorum meminit Paulus ad hos ſcribens cap. 1. *Niſi ſunt aliqui qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti* ex levi jugo in onus prægrave, nec humanis viribus attemperatum. His Eccleſiarum perturbatoribus exturbatis, & circumci-

ſione penitus abrogata,cępit aliquibus rigidè, & ſubtiliter religioſis diſplicere Baptiſmus ab Hæreticis collatus, vel non placere pęnitus, ejuſque valor in dubium revocari. Hæc enim ſemper fuit Rigoriſtarum indoles, anxia, addubitans, inquieta. Quot autem Epiſcopos, quot egregios Doctores, quot Synodos totas hæc dubitatio quæ religioſiſſima videbatur, cum de valore & fructu ſacramenti maximè neceſſarii ageretur, aut à recta Fide, aut à Romani Pontificis obedientia, aut ſaltem à vinculo pacis abſtraxerit, refert idem Baron. ad ann. 255. His quoque aut abſciſſis, aut ad concordiam revocatis, Euſtathius quidam Rigoriſtarum facilè princeps utpote qui conſilia omnia Evangelica verterat in leges ſeveriſſimas & gravia præcepta, Paphlagoniam aliaſque Aſiaticas regiones in magnum amittendæ Fidei periculum adduxit, effeciſſetque quod intendebat, niſi Gangrenſis Concilii Patres impiis ejus conatibus obſtitiſſent. Aliquorum interea Epiſcoporum operâ eo uſque pervenit in aliquibus Orientis Eccleſiis, & præſertim Conſtantinopoli rigor Pœnitentiæ, ut ſedandis populis nimio rigore irritatis, Pœnitentiales omnes canones, aut

ple-

pleroſque abrogare ſucceſſores Epiſcopi, præeunte Nectario, coacti fuerint, ut ſatis innuunt Socrates lib. 5. cap. 19. & Sozomenus lib. 7. cap. 16.

Ab Aphrica, & Græcia in Gallias, & finitimas regiones rigor iſte nimius tranſmeavit: Inde (ut ex infra diſputandis conſtabit) fuit aliquibus etiam morientibus negata venia delictorum, aliis negata Communio, aliis nimis dilata, innumeri pœnitentiis prægravati, demum facta adeo exoſa pœnitentia, ut per vim fuerint aliquandiù Fideles ad eam compellendi (ut ex libris Capitul. plurium Imperatorum conſtat) ac tandem fuerint, oblata relaxatione ſeveriſſimæ pœnitentiæ, ab deſperatione, in quam plerique prolapſi erant, ad ſpem ſalutis erigendi.

Soli Romanæ Eccleſiæ nunquam ſpiritus rigoris impoſuit. Non ſemel is ejus finibus admovit copias ſuas, nempe dolos, quos ſolet adhibere virtus palliata, hypocriſis ſtudioſa, ſed fuit ſemper rejectus eo Stephani Pontificis reſponſo, *Nihil innovetur*, quod traditum eſt ſervetur, eo Innocentii I. epiſt. 2. cap. 2. *Non eſt neganda pœnitentia poſtulanti*, eo Leonis epiſt. 89. *In diſpenſandis Dei donis non debemus eſſe difficiles*:

Quin ipſa cæteras Eccleſias, labe nimii rigoris infectas, purgavit. Tertullianum excommunicatione perculit Zephyrinus Papa, ejuſque in eo Rigorem proſcripſit. Novatianiſmum Cornelius, Inde Innocentius epiſt. 2. cap. 2. Gallicanum Rigoriſmum Cęleſtinus ad Exuperium ſcribens, Forojulienſem, & poſtea Samniticum, Campanum, & Picenum, & iterum Gallicanum confixit Leo, ad harum Eccleſiarum Epiſcopos ſcribens, omnes demum Eccleſias ab hac peſte cavere monuerunt B. Pius V. aliique inde Pontifices & noviſſimè Alexander VIII. dum Bajanas, Ianſerianas, aliaſque ab his impuris fontibus propoſitiones collectas damnarunt.

Et quidem adeo Rigoriſtis infenſam ſe præbuit Eccleſia Romana, ut aliqua, quamvis non eſſent mala, rejecerit aliquando, eo ſolo nomine, quod ab hoc hominum genere proponerentur. Hæc fuit (inquit Card. Baron. ad ann. 173. num. 3. & ex Baronio Spondanus) cauſa rejiciendi ea nova jejunia, quæ ad optimos fines proponebat Montanus, ad auertendas videlicet imminentes clades, & tentationes, itemque ad exercendam ſobrietatis, &

abſti-

abſtinentię diſciplinam, ne ſcilicet *ſpiritum Montani comprobaſſe diceretur*.

Verùm non fuit ſolùm hujuſmodi immoderati rigoris inimica Eccleſia Romana, ſed amantiſſima benignitatis, & quidem ab ortu ſuo. Benigniſſimus ejus fundator Petrus, primò ex indole ſua nihil anxia, nihil trepida, nihil moroſa, & ad commiſerationem facta. Secundò ex ſuæ infirmitatis experimento. Tertiò ex benigniſſimi ſui Inſtitutoris exemplis. Quartò ex præcepto quo Chriſtus ipſum obſtrinxerat, exhibendi ſe ſeptuagies ſepties Peccatoribus indulgentem. Hanc ille benignitatem velut optimi ſui Parentis, & Præceptoris hereditatem tranſmiſit in ſucceſſores ſuos: hinc benigni omnes uſque adeo, ut quamvis non fuerint, viſi fuerint eſſe juſtò benigniores. Zephirinum Pontificem nimiæ benignitatis in mœchos, & reliquos delinquentes inſimulavit Tertullianus factus ex Eccleſiæ Doctore Procli Rigoriſtæ diſcipulus. Cornelius quem Cypr. defendit ad Antonianum ſcribens, nimis benignus viſus eſt aliquot Aphricanis Epiſcopis, quòd Trophimum Epiſcopum deſertæ Fidei cum ſuo populo reum, inde cum eodem ſuo populo pœniten-

nitentem abſolvit ſtatim, & in gratiam recepit, Liberius Pontifex ſimili ex cauſa nimis benignus viſus eſt Lucifero Epiſcopo Calaritano, ut aliqui referunt apud Card. Baron. ad ann. 362. Nimiæ ſimiliter benignitatis ſuſpicionem incurrit apud Felicem Epiſcopum Siculum Gregorius Magnus, ut ex ejus ad eum epiſtola conſtat. Reliquis demum Romanis Pontificibus eandem nimiæ benignitatis notam inuſſerunt multarū Catholici Orbis regionum Epiſcopi perplures, quod Pœnitentes nimium ſevere habitos ab Epiſcopis ſuis, & ad Romanam ſedem recurrentes amanter exciperent, & aut totâ, aut parte ſaltem impoſitæ pœnitentiæ miſericorditer exonerarent, ut conſtât ex tot Pontificum ad prædictos Epiſcopos literis, & plurium Synodorum non uſquequaque juſtis querimoniis. Majorem eidem Pontificum Romanorum benignitati invidiam conflare conati ſunt recentiores decimi ſexti ſeculi Novatores (atque utinam idipſum nō faciant modo rigidi Cenſores non pauci) quod ex Eccleſiæ theſauro miſericorditer Divinæ juſtitiæ pendant, quod Pœnitentes in pœnæ ſibi debitæ remiſſionem perſolvere debuiſſent. Hinc illæ in Pontificiam

ciam aut poteſtatem, aut prodigalitatem, ut ipſi dicebant, ſacrilegæ invectivæ. Sed hos aut rigidos fratres, aut rebelles filios, aut invidos hoſtes audiere nunquam, rejecere ſemper, & ſilere juſſerunt Romani Pontifices, non ignorantes ejus ſe locum in Terris tenere, cujus benignitas ſemper Phariſęos offendit, quique hac lege Romanam Eccleſiam fundare Petrum voluit, ut ipſe, ejuſque ſucceſſores amarent oves ſuas, eaſque iterum atque iterum amarent, perditas quærerent, nec redeuntibus imponerent onus pregrave præceptorum, aut pœnitentiarum, ſed ipſas imponerent humeris ſuis, & per quandam benignitatis amabilem violentiam ad caulas reportarent.

Habeant igitur reliquæ Orbis terrarum Eccleſiæ laudem ſuam, decora ſua. Benignitas fuit ſemper, eritque Eccleſiæ Romanæ præconium, non ea quidem quæ ſemper fuit inutilis, aut etiam pernicioſa, quæ videlicet Hæreticis, aut ſimulatoribus, aut contumacibus impenditur, ſed quæ Fidelibus, quæ ſubjectis, quæ Pœnitentibus exhibetur, dicam breviùs, quam Fundator tuus exhibuit. Benigniſſimus quidem Petrus fuit, ſed non cum Anania,

nia, & Saphira hypocritis, & deceptoribus; non cum Simone impoſtore, ſed cum Neophitis, cum Fidelibus, cum Pœnitentibus. Duos illos conjuges hypocritas paucis verbis tanquam telo non errante transfodit, Impoſtorem verò volantem de Cœlo detraxit, ejuſque crura confregit. At Neophytos Hebræos quamvis judaizantes toleravit, Neophytos Gentiles onere antiquæ legis abſolvit, Antiochenos Fideles magno numero præceptorum onerari noluit, nulli Pœnitentium veniam denegavit.

Hæc eadem fuit ſucceſſorum Petri benignitas, idem tigor, Rigor in Hæreticos, hos enim indulgentia audaciores facit, Rigor in Impoſtores hypocritas, ne diutiùs imponant, ac decipiant, Rigor in Rigoriſtas, ne legem Evangelicam vertant in tyrannidem animorum; Benignitas verò in eos, quos recèns ad Fidem mater Eccleſia parturiit, quibus lac præberi voluere, nempe facilem diſciplinam, Benignitas in Populos ſubjectos, quos novis ſemper nec penitus neceſſariis urgeri præceptis noluere, Benignitas demum in Pœnitentes, quorum, ut paulò ante dicebam, fuit ſemper Eccleſia Romana perfugium.

Hanc

Hanc Benignitatem tuère qui Clerici Romani nomen habes,& cupis implere. Cave à Rigoriſmo, Cave à Rigoriſtis, qui de regione longingua veniunt ad Te in veſtibus ovium, in fronte modeſta, in oculis ſubmiſſis, in vultu demiſſo, in geſtu compoſito, in toga decenti, in ſermone ſuavi. Cave etiam ab iis qui non veniunt, ſed mittunt ad te Commentarios ſuos, Summas ſuas, Inſtructiones ſuas, Rigoriſmum ſuum. Pudeat Clericum Romanum Romanam Sapientiam dedoceri, edoceri peregrinam, Tuam amittere, admittere ſuſpectam, imo rejectam, ex Romano Clerico evadere Clericum Tranſmontanum.

At (inquies) quis iſte Rigoriſmus eſt? Qui Rigoriſtæ ſunt? Qui eorum libri, ut cavere poſſim?

Reſpondebo. Habent Janſeniſtæ Theologiam ſuam ſpeculativam, & practicam, ſeu moralem. Speculativa Janſeniſmus eſt, Practica, ſeu moralis Rigoriſmus eſt. Hujus tria principia ſunt,Patres jactare plurimum,Pontifices æſtimare parvi, recentiores Theologos nihili. Patribus, ut ab ipſis exponuntur, deferre obſequium verum, Pontificibus ſimulatum, reliquis Doctoribus neutrum. A Divo

Auguſtino vero aut putato recedere nunquam, nec S.Doctorem ex Conciliis interpretari, ſed ex eo Concilia: Pontificibus ex Cathedra docentibus accedere aliquando, & id profiteri, ſi videlicet non adverſentur; ab Scholaſticis vero præſertim duplicis poſtremi ſeculi in controverſiis morum, vel in re, vel in modo loquendi recedere ſemper, vel ne legere quidem illos, & multò minus in ſuis ſcriptis, vel libris honorificè allegare.

Hujus ſpiritus indoles tetrica eſt, ſuſpicioſa, artificioſa, ambitioſa, immiſericors, tyrannica, uno verbo Phariſaica. Habes ex his unde eos dignoſcas, ſi noſti vitia Phariſæorum. Quatuor illa potiſſimum erant, facies ſimulata, cor durum, animus malignus, vota ambitioſa. Sanctitatem præſeferebant, zelum legis, amorem diſciplinæ, ſed tota erat in cute ſanctitas, in corde verò durities, quare nihil alienis laboribus, anguſtiis, periculis tangebantur, nihil ad humanæ infirmitatis commiſerationem movebantur, hinc illa multiplicandi præcepta facilitas, illa ſeveriſſima legis in aliquibus cæremoniis, aut minoris momenti præceptis interpretatio, illa rigidiſſima in exigendis legalibus

libus tributis, vel oneribus cura, quibus ſic arctam faciebant viam Cæli, ut clauderent penitùs. Hanc eorum hypocriſim ambitioſam, & inclementiſſimi cordis duritiem ſæpiſſime in eis redarguit Chriſtus Dominus, ſed præſertim Matth. cap.23. *Dicunt, & non faciunt. Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere, omnia verò opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus. Dilatant enim philacteria ſua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.... Væ autem vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia clauditis Regnum Cœlorum ante homines; vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare*. Par erat inclementię cordis malignitas animi, ex qua ſemper inquirebant in Diſcipulorum Chriſti, inque ipſius Chriſti Domini facta, dicta, & cogitationes ipſas, captiosè interrogabant, pejora ſemper ſuſpicabantur, omneſque nocendi artes prætextu tamen pietatis, & amoris tuendæ legalis diſciplinæ excogitabant.

Quos igitur deprehenderis in facie ſan-

ctos

ctos modeſtos, compoſitos, Eccleſiaſticè in toto habitu comptos, ſed habentes ſemper quid interrogent, quid inquirant, quid dubitent, quid obiiciant, quid non probent, quid reſecent, quid reſtringant, quid addant, quid emendent, ſemper muſſantes, ſemper deflentes noſtram ætatem, noſtros mores, noſtram doctrinam, habentes nunquam quod excuſent, quod indulgeant, quod laudent, niſi aut ſua ſint, aut ſuorum, quos evehere curant, ut evehantur ipſi, & dominenrur in Cleris, aut protegantur, habe illos, ut noſtrorum temporum Phariſæos, & veri nominis Rigoriſtas.

Eorum verò libros facilè dignoſces ex Authoris regione, Academia, familia, libri prima facie, modo probandi aſſertiones ſuas, allegationibus &c. Noſti regiones occulto morbo laborantes, Academias, Familias, Collegia. Hæc ſuſpicionem faciant. Ea verò celebris in fronte libri promiſſio tradendi doctrinam ſacræ Scripturæ Conciliorum, & Patrum, ſuſpicionem augeant; non enim, ut olim, promiſſio nunc eſt in recentibus his compendiariis dogmaticis, moralibus ac textualibus Theologiis, ſed eſt proteſtatio quędam,

dam, qua Author ſignificat, ſe ſcholaſticam viam in probando, confirmandoque aſſertiones ſuas non inſiſtere, non ſpeculari, non tirari, ſed textus congerere veterum Doctorum, recentiorum nunquam, ſeque ſolum proinde velle eſſe veterum Scriptorum & Canonum interpretem: ſibi credendum, non Cajetano, non Adriano, non Soto, non Suario, non Vaſquio, qui pleni ſunt textibus ſcripturarum, Conciliorum, & Patrum ſed eos conferunt ad invicem, & ex recepta Eccleſiæ doctrina, ac Pontificiis definitionibus exponunt. Si tandem advertas aut eos nihil meminiſſe Decretorùm Pontificum in materia, in qua eſſent afferenda, aut eorum ſolùm meminiſſe, quæ fuiſſe putant minus benigna, vel ſibi haudquaquam adverſa, & afferre in calce ſui operis eorum decreta, non autem B. Pii V. & Succeſſorum Conſtitutiones contrà Bajanas multas propoſitiones, nec Alexandri VIII. contrà ſimiles aſſertiones decretum, ut facit auctor recentiſſimæ Theologiæ, quam paucos ante dies legebam, ſuſpicare vehementer, ne Auctor ex illis ſit, quos deſcribebam antea, manifeſtos Recentiorum, occultos Pontificum contemptores, & ſolius

Augu-

Auguſtini, ut ab ipſis exponitur, nempe ſui ſolius judicii adoratores,quique niſi timerent ſibi, candidè dicerent Tibi, *Ubi inveneris Doctrinam iu Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè potes tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam*. Hos proinde libros abjice, aut ſi Theologicis inſtitutionibus ex principiis D. Thomæ aut D. Bonaventuræ vel Scoti, es bene & altùm inſtructus, lege, ut refellas, & abjicias.

At qua ratione refellam? (inquis). Nunc intelliges, inutilem Tibi nen futurum laborem meum, quem his meis Diſputationibus concinnandis impendi. Rejiciunt illæ rigidiorum hujuſmodi librorum doctrinam, & rationem facilem præbent,qua eam ipſe rejicias, ſubruendo videlicet quadruplex ejus fundamentum, falſa videlicet quatuor præjudicia, ſeu perſuaſiones, quibus prædicti Doctores decipiuntur ipſi, & alios decipiunt. Putant enim veterem Eccleſiam fuiſſe ſeveriſſimam in Pœnitentes & canones, ut id probent, afferunt, qui ſunt totidem in eam calumniæ. En prima eorum perſuaſio. Putant præſentem Eccleſiam eſſe nimis benignam in Pœnitentes, idque aliquibus aſſertionibus exponunt,

que

quę ſunt totidem in eam calumnię. En altera æque falſa eorum perſuaſio, ex qua utrâque oriuntur illa rigidiorum Doctorum præconia, illæ querimoniæ, illæ ſeveriſſimæ leges; preconia quibus antiquam Eccleſiam celebrant, querimoniæ quibus præſentis Eccleſiæ benignitatem deflent, leges quibus arctari Pœnitentes cupiunt. Putant ab antiquis Doctoribus totam doctrinam moralem tradi diſtinctè, plenè, ac diſertè. En tertia eorum perſuaſio. A recentioribus verò Scriptoribus paſſim confundi, laxari, corrumpi. En quarta demum perſuaſio. Ab utraque autem oritur ille ſolius antiquæ Patrum doctrinæ amor, & celebratio, recentiorum verò Doctorum deſpicientia, & vituperatio, hinc amor rigoris, cui illos ſuffragari putant, hinc odium benignitatis, cui Recentiores favere videntur.

Harum quatuor perſuaſionum falſitatem, hi duo libri, quos tibi præbeo, demonſtrant, aut ſaltem demonſtrare conantur, ut ex Indice Calumniarum, ſeu Diſputationum, quibus confictas in utramque Eccleſiam calumnias detegunt, ac refellunt, facilè colliges. Librum accipe. Indicem quem ſta-

tim ſubtexo, perlege, & incipies, ut ſpero mihi gratias habere, quod faciam, ne Te decipiant rigidi Doctores, nec deſinas
eſſe qui ſemper eſſe debes,
Clericus Romanus.

IN.

Digitized by Google

INDEX
PRIMÆ PARTIS TOTIUS OPERIS,
SEU PRIMI LIBRI,

Quo veteris Eccleſiæ Severitas à Crudelitate per duodecim Calumnias ei attributâ per totidem Diſputationes vindicatur.

Calumnia I.

Clericis, prẹſertim majoribus in quẹdam ſcelera prolapſis vetus Eccleſia veniam negavit. Diſputatio I.

Calumnia II.

Quibuſdam criminibus, nempè apoſtaſiæ, homicidio, & adulterio nunquam fuit per aliquot ſæcula data venia. Diſp. II.

Calumnia III.

Iis qui ſtudiosè diſtulerant ad extremum vitæ pœnitentiam, ab Eccleſia veteri

negata penitùs venia fuit. Diſp.III.

Calumnia IV.

Reis ad mortem damnatis olim Eccleſia veniam negavit, aut negari permiſit. Diſp.IV.

Calumnia V.

Iiis qui poſt ſolemnem Pœnitentiam relapſi eſſent, Eccleſia vetus veniam, & abſolutionem etiam in morte negavit. Diſp.V.

Calumnia VI.

Pœnitentibus injungebat olim Eccleſia publicam occultorum quoque criminum Confeſſionem. Diſp.VI.

Calumnia VII.

Publica pro delictis etiam occultis pœnitentia ſubeunda fuit ex veteris Eccleſiæ diſciplina. Diſp.VII.

Calumnia VIII.

Pro quibuslibet peccatis lethalibus publi-

cam

cam pœnitentiam impoſuit vetus Eccleſia. Diſp.VIII.

Calumnia IX.

Per viginti, & ampliùs annos variis, magniſque corporis, animique laboribus ſuos Pœnitentes exercere, ac probare conſuevit vetus Eccleſia. Diſp.IX.

Calumnia X.

Per vim fuere Fideles veteris Eccleſiæ ad publicam, & ſevèriſſimam pœnitentiam compulſi. Diſp.X.

Calumnia XI.

Pœnitentes ſolùm poſt impletam pœnitententiam abſolvere conſuevit vetus Eccleſia. Diſp.IX.

Calumnia XII.

Confeſſariis fuit olim permiſſum, aut etiam injunctum, ut pœnitentium peccata, ad eos in officio continendos, revelarent. Diſp.XII.

IN-

INDEX
SECUNDÆ PARTIS,
SEU SECUNDI LIBRI

Quo præſentis Eccleſiæ benignitas à laxitate per duodecim Calumnias ei attributâ per totidem Diſputationes vindicatur.

Calumnia I.

Eccleſia præſens in adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ, & vindicandis Fidelium culpis à veteri Eccleſia penitus receſſit. Diſp.I.

Calumnia II.

Refrigeſcens Fidelium Charitas præſentis Eccleſiæ Benignitatem invexit. Diſp.II.

Calumnia III.

Confeſſarii, Theologique, quorum cauſâ rigidioris Pœnitentiæ diſciplina deſiit in Eccleſia, fuere Religioſi præſertim

Digitized by Google

mendicantes qui ex Inſtituto ſuo non ſunt audiendis Secularium Confeſſionibus ſatis idonei. Diſp.III.

Calumnia IV.

His ultimis tēporibus benigniùs fuit quàm ſeculo decimo tertio, quo Benigna hæc Praxis invaluit, Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtratum. Diſp.IV.

Calumnia V.

Recentiores Theologi Scholaſtici, Moraleſque, dum inutilibus quæſtionibus tempus terunt, & ex genio, ingenioque ſuo magis, quam ex doctrina Patrum, reſpondent, ſcribuntque, magnum Theologiæ morali, ac foro Pœnitentiæ damnum inferunt, aut facilè inferent. Diſp.V.

Calumnia VI.

Præſens Benignitas in adminiſtrando hoc Sacramento non eſt conſentanea

Scri-

Digitized by Google

Scripturis , & *ejuſdem Sacramenti Inſtitutioni* . Diſp.VI.

Calumnia VII.

Prædicta Benignitas Patrum regulis, & *ſententiis adverſatur* . Diſp.VII.

Calumnia VIII.

Rejecta à Sanctis Viris , & *præſertim à D. Carolo præſens Benignitas fuit* . Diſp. VIII.

Calumnia IX.

Etiam nunc eadem Benignitas à melioris notæ Theologis , *ac Sacerdotibus* , *ac proindè à meliori Eccleſiæ parte reprobatur* . Diſp. IX.

Calumnia X.

Prædicta Benignitas non eſt ſatis tuta adeòque Sacramento injurioſa . Diſp. X.

Ca-

Calumnia XI.

Eadem pernicioſa Fidelibus eſt. Diſp. XI.

Calumnia XII.

Temperanda ſaltem eſt aliquo majori Rigore præſens Eccleſiæ benignitas. Diſp. XII.

Ad hæc fere capita rediguntur omnia, quę ad ſtatuendum Rigoriſmum ſuum dicere ſolent rigidi aliquot noſtrorum temporum Scriptores. Quia verò iis, quæ circa veteris Eccleſiæ diſciplinam in adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ dicentur, intelligendis, neceſſarium eſt non ignorare qui veteris Pœnitentię adeò celebratę ritus fuerint, eos hic breviter recenſere conſtitui.

VE-

VETERIS

POENITENTIÆ

DESCRIPTIO.

EA fuit veteris Eccleſiæ praxis, ut culpæ minores ſecretâ expiarentur pœnitentia, majores verò, & publicæ publicâ. Hæc autem duplex erat. Alia publica non ſolemnis, quæ tota, aut publica accuſatione delicti, aut publica aliqua humiliatione ſine ſolemnibus quibuſdam multiſque cæremoniis, & ſine Pœnitentis diuturna probatione agebatur. Altera ſolemnis, quæ in quatuor gradus, ſeu ſtationes erat diſtributa, nempè Fletus, Auditionis, Subſtrationis, & Conſiſtentiæ; quamvis non rarò, ex Pontifi-

cum

Digitized by Google

eum indulgentia, aliqua ex ipſis omitteretur, aut valdè contraheretur. In has Stationes pœnitentiam ſolemnem dividit in ſua Epiſtola Canonica Gregorius Thaumaturgus, Baſilius in ſua ad Amphilochium, Gregorius Nyſſenus in ſua ad Letojum, Felix Papa epiſt. 7. Quin & Concilium Nicænum Can. 11. aliaque multa Concilia Provincialia.

Igitur cum quis enormi aliquo delicto, ingenti ſcandalo fuerat, aut perturbationi, monebatur, ne ad Eccleſiam accederet, accedens, & non parens, expellebatur. Ejectus ab Eccleſia reus, ſi eum facti pœnitebat, & reconciliari cupiebat, cum Fideles ad Templum primarium conveniebant, ipſe conſiſtebat in veſtibulo, vel in porticu, vel (ſi peccatum graviſſimum erat, ac turpiſſimum) ſub dio; ibique ſacco indutus, facie ſquallida, cinere coopertus admitti ad pœnitentiam poſtulabat, ſeque ad pedes Fidelium introeuntium proſternens, ut pro ſe apud Epiſcopum deprecatores eſſent, rogabat. Admiſſus ad pœnitentiam, juſſuſque illic per aliquot menſes, aut annos, in fletu, ſacco, & cinere permanere, intra Eccleſiam, ea lege admittebatur, ut in poſtrema ejus

parte

parte conſiſteret cum Catechumenis audien-tibus, qui nempè ad Eccleſiam veniebant, ut fidei doctrinam audirent. Inde hæc ſecunda ſtatio dicta *Auditionis*. His Catechumenis immixtus Pœnitens, aut vicinus, iterùm ad veram Fidem, & mores Chriſtiano homine dignos erudiebatur. Ab hac ſecunda Statione Auditionis, ſi veri ſigna doloris præbebat, poſt aliquot aut annos, aut menſes, aut dies pro menſura delicti, & contritionis, vocabatur ad tertiam *Proſtrationis* paulò ſuperiorem, ad eam videlicet Templi partem, quam Catechumeni competentes occupabant, ii nempè, qui jam inſtructi in Fide, credenteſque Baptiſmum petebant. Ut autem ii Catechumeni proſtrati ad pedes Epiſcopi initiabantur, curabanturque variis cæremoniis, ut habetur ex Concilio primo Conſtantinopolitano Can.7., & ex Auguſtino, qui de Symbolo ad Catechumenos eas cæremonias deſcribit, dicens: *Omnia Saccramenta, quæ acta ſunt, & aguntur in vobis per miniſterium Servorum Dei, exorciſmis, orationibus, canticis ſpiritualibus, inſufflationibus, cilitio, inclinatione cervicum, humilitate pedum, hæc omnia, ut dixi, eſcæ ſunt, quæ vos*

reſi-

Digitized by Google

reficiant in utero, ut renatos ex Baptiſmo hilares vos Mater Eccleſia exhibeat Chriſto, ita in hac Statione iterùm initiabantur Pœnitentes precibus, impoſitione manuum, benedictionibus, aliiſque hujuſmodi ritibus animæ repurgandæ accommodatis. Utque utrique Catechumeni, Audientes, & Competentes, expleta lectione ſcripturarum ejiciebantur ab Eccleſia, nec adeſſe Euchariſticis precibus, & Sacrificio permittebantur, ità utrique Pœnitentes, tam Audientes, quam Subſtrati expellebantur. Ab hac tertia Statione poſt longum, vel breve tempus, pro merito Pœnitentis, venia dabatur tranſeundi ad quartam Stationem *Conſiſtentiæ*, in qua Pœnitens non longè ab Altaris cancellis, cum Fidelibus etiam tempore Sacrificii conſiſtebat, licèt offerre nondum poſſet, nec de Altsris Sacramento participare. Expleto tandem in hac Statione totius Pœnitentiæ curriculo per multas cæremonias in Ritualibus eorum temporum libris latè deſcriptas ad perfectionis gratiam (ut loquebantur) perveniebat, ideſt ad plenam reconciliationem, Sacræque Euchariſtiæ Communionem, qua refectus, reliquis Fidelibus, per omnia jungebatur,

cum

cum onere tamen abſtinendi aut in perpetuum, aut quandiu Epiſcopo viſum fuiſſet, à militia, à nuptiis, à thoro, à publico magiſtratu, aliiſque hujuſmodi, quibus Religioſi viri degentes in Monaſteriis abſtinent. Et quidem hunc Ordinem Pœnitentium ſimilem fuiſſe Ordini Religioſorum, unius cum altero comparatione alibi oſtendi.

VE-

Digitized by Google

Digitized by Google

VETERIS ECCLESIÆ SEVERITAS,

A CALUMNIIS VINDICATA.

CALUMNIA PRIMA.

Clericis, præſertim majoribus, in quædam ſcelera prolapſis vetus Eccleſia veniam negavit.

DISPUTATIO I.

Doct. Rig. HAnc nego eſſe Calumniam, conſtat enim, Eccleſiam veterem non permiſiſſe Clericis, ut Pœnitentiam obirent, nec ut eis manus imponerentur, qua cæremonia tunc temporis Pœnitens ab- 1

A ſol-

ſolvebatur: Afferam indubitatas quatuor Pontificum ſententias, nempe Siricii, Joannis II., Sancti Leonis I., & Zachariæ. Incipiam à Leone, cujus illuſtrior fama Sanctitatis, & doctrinæ. Is Epiſt. 2. novæ edit. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, *Alienum eſt* (inquit) *à conſuetudine Eccleſiaſtica, ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconii gradu fuerint conſecrati, pro crimine aliquo ſuo, per manus impoſitionem, remedium accipiant pœnitendi, quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit, ſecundum quod ſcriptum eſt, Sacerdos ſi peccaverit, quis orabit pro illo? Undè hujuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis ſatisfactio, ſi fuerit condigna, ſit etiam fructuoſa*. Fructuoſa quidem apud Deum, non autem apud Eccleſiam. Eccleſiaſticæ enim abſolutionis, quæ illis tandem daretur, nihil hìc meminit Leo, ut aliàs debuiſſet.

2 Nec facit, quod de Sacerdotibus tantum, Diaconiſque videatur loqui Leo. Horum quippè meminit, utpotè quos potiori jure vetus diſciplina caſtigat. Hinc antè Leonem, omnes Clericos eâ cenſurâ com-

pre-

prehendi debere, monuit Siricius Papa ep. I. *Illud quoque nos par fuit providere, ut ſicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ità & poſt pœnitudinem, & reconciliationem, nulli unquam Laico liceat honorem Clericatus adipiſci. Quia quamvis ſint omnium peccatorum contagione mundati, nulla gerendorum Sacramentorum inſtrumenta ſuſcipere debent, qui dudum fuerint vaſa vitiorum.* Joannes autem II., in Epiſt. ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum, mandat, ut Regienſis Epiſcopus, nomine *Contumelioſus*, ob ſua crimina deponatur, totâque reliquâ vitâ Monaſterio incluſus, veniam à Deo expoſcat, quia videlicet ab Eccleſia eam ſperare non poterat. Demùm Zacharias in Reſponſis ad Pipinum, reconciliari Presbyteros *per manus impoſitionem* vetat; ergo omnem eis ſpem obtinendæ reconciliationis abſcindit. Fruſtra igitur Clericis in graviores culpas prolapſis ſpem obtinendæ abſolutionis facis.

3 *Doct. Diſcr.* Hanc illis ſpem ego non facio, ſed facit Chriſtus, nec adimit Eccleſia. Igitur ſeveriſſimam hanc pœnam indictam Clericis nunquam fuiſſe fatentur omnes qui

A 2 Cano-

Canones non ſciunt ſolum memoriter, ſed intelligunt, eoſque non ex indole ſua, ſed ex Doctorum ſenſu, & ex ipſa ratione interpretantur. Suevit quidem Eccleſia in delictis majoribus eos deponere, nempè de gradu deiicere, ſed interim ad Laicalem ſaltem communionem eos admiſit, ut innumeri Canones oſtendunt. Admiſſi verò ad Communionem ſine dubio abſolvebantur. Dum ergo eis Siricius, Leo, aliique Pontifices Synodique Pœnitentiam interdicunt, de publica, ſolemnique, loquuntur, nempè de ea, quam Laici facere jubebantur, *humillimamque* vocat Auguſtinus Ep.54. quamque ex Tertulliano lib. de pœnit. cap.9. multi averſabantur, *quod inlotos, quod ſordulentos, quod extrà lætitiam oportet deverſari in aſperitate ſacci, & horrore cineris, & oris de jejunio, vanitate*. Siquidem non ſatis decere putavit Eccleſia vetus, ut qui ſacris Altaribus miniſtrare auro gemmiſque ornati conſueverant, aſpicerentur à populo præ foribus Eccleſiæ ad terram dejecti, ſuiſque lacrymis in ſacco, & cinere ſordidati; quique, ut innuit Leo, pro Pœnitentibus Laicis orare conſueverant, Pœnitentes ipſi Laicorum preces expoſce-

poſcerent. Voluit eos agere pœnitentiam, ſed decoram, nec ità ſe demittere, ut proſtituerent dignitatem. Eos propterea conſuevit, ſi graviſſimè deliquiſſent, in Monaſterium, aut ſimilem alium locum detrudere, multoque jejunio, aliiſque hujuſmodi remediis purgatos per ſecretam manuum impoſitionem abſolvere, ut innuit Leo citatus, & conſtat ex Concilii Agathenſis Can. 50. *Si Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiſerit, aut Chartam falſaverit, aut Teſtimonium falſum dixerit, ab officii honore depoſitus in Monaſterium retrudatur, & ibi quandiù vixerit; laicam tantummodo communionem accipiat*: Quod ipſum ferè ad verbum ſtatuit Concilium Epaunenſe Can. 22. S. Auguſtinus lib. 1. de Baptiſm. contrà Donatiſtas, monet, non conſueviſſe Eccleſiam *Ordinatis ad Eccleſiam rideuntibus, manus imponere inter Laicos*, innuens impoſitas quidem eis manus fuiſſe, ſed procul à Laicis, & in loco ſecreto. Similiter Iſidorus lib. 2. de Eccleſiaſticis Officiis cap. 6. agens de Clericorum, Laicorumque diverſa Pœnitentia. *A Sacerdotibus, & Levitis* (inquit) *Deo tantum teſte fit Pœnitentia, à cæteris*

teris vero adſtante coram Deo ſolemniter Sacerdote.

Ex his ſatis conſtat, non omnem fuiſſe veniam Clericis delinquentibus ab Eccleſia veteri denegatam, ſed eam ſolam, quæ ritu ſolemni poſt exactam publicè per ſuos gradus Pœnitentiam, concedebatur. Quin hanc ipſam fuiſſe non ſemel indultam poſt publicam Pœnitentiam, pluribus exemplis oſtendit Morinus de pœnit. lib.4. cap.14.

D.R. Sed quæ Monachos, Monachoſq; cenſura punivit, ſi forte è ſuo propoſito reſilirent? His certè videtur aliquando ſpes veniæ penitùs adempta.

4 *D.D.* Reſp. Monachos olim, cum videlicet, nec Eccleſiaſticis eſſent Ordinibus initiati, nec ſimul in Monaſteriis ſub Rectore ſuo viverent, aut non eo vinculo, quo poſtmodum fuere conſtricti, ſi fortè eſſent in graviora prolapſi, ad publicam cum Laicis Pœnitentiam peragendam fuiſſe damnatos. Sic enim Leo ep. 92. ad Ruſticum Narbonenſem cap. 12. *Propoſitum Monachi proprio arbitrio, aut voluntate ſuſceptum deſeri non poteſt abſque peccato &c. Undè qui relicta ſingularitatis profeſſione ad militiam, vel*

ad

ad nuptias devolutus eſt, publicæ Pœnitentiæ ſatisfactione purgandus eſt. Gelaſius quoque I. epiſt. 9. ſivè prima decretali cap. 22. loquens de Virginibus poſt profeſſionem nubentibus, jubet eas *à Sacra Communione detrudi, & niſi per publicam, probatamque Pœnitentiam, omninò non recipi*. Pœnitentiæ non ſolum publicæ, ſed ſolemniſſimæ, quæ gradibus, ſeù ſtationibus quibuſdam conſtabat, Monachos quoſdam, iterum ab Hæreticis baptizatos, addicit Felix III. Epiſtola 3. *Si eos*, inquit, *ex corde pœniteat, tribus annis inter Audientes ſint; ſeptem autem annis ſubjaceant inter Pœnitentes manibus Sacerdotum, duobus autem annis oblationes modis omnibus non ſinantur offerre, ſed tantummodo Sæcularibus in oratione ſocientur*. Cum verò Monachi ſuo ſub Abbate vivere cæperunt, ei penitùs ſubjecti, ab eodem fuere, ſi fortè deliquiſſent, ſecreti Carceris pœna caſtigati, ut ex Conciliis infrà citandis palàm fiet. Carcer autem erat aliquando intrà Monaſterium, ut conſtat ex Conciiio Tarraconenſi cap. 1. ſic decernente. *Si Religioſus, vel Monachus ſit in Cella Monaſterii recluſus, Pœnitentiæ lamentis incumbat, ubi*

ſingulari afflictione panis, & aquæ victum ab Abbatis ordinatione percipiat. Aliquando verò erat extrà Monaſterium, quamvis brevi intervallo diſſitus. Ad hunc amandat Siricius Papa Monachos Monachaſque poſt profeſſionem Matrimonio copulatos, in hunc modum contrà eos pronuncians. *Has ergo impudicas, deteſtabileſque perſonas à Monaſteriorum Cætu, Eccleſiarumque Conventibus eliminandas eſſe mandamus, quatenùs retruſæ in ſuis ergaſtulis, tantum facinus continuà lamentatione deflentes, purificatorio poſſint pœnitudinis igne decoquere; ut eis vel ad mortem ſaltem, ſolius miſericordiæ intuitu, per Communionis gratiam, poſſit indulgentia ſubveuire.*

5 Ex his carceribus unus, iſque celeberrimus erat ille quem Climacus deſcribit. Erat enim à Monaſterio aliquanto diſſitus, apprimè horridus, & puniendis Monachis è ſua profeſſione excidentibus deſtinatus. Sic enim habet in ſua Scala Paradiſi gradu quarto. *Locus erat ab ipſo Mpnaſterio uno dumtaxat lapide, ſeu millitare ſejunctus, carcer dictus, illætabilis prorsùs, & omnibus corporis gaudiis deſtitutus. Nullus ibi unquam*

cult-

culinæ fumus cernebatur , non vinum , non oleum in cibum adhibebatur , non aliud quidquam è foco præter panem , & minuta oluſcula in menſam inferebatur . In hoc eos qui poſt Religioſam profeſſionem in peccatum prolapſi erant , ita Abbas concludebat , ut pedem efferre nunquam poſſent . Nec plures ſimul jungebat , ſed ſingulos ſeorſim , aut , ut plurimum binos . His præerat vir quidam eximius , cui Iſaacus nomen , qui ab ſibi commiſſis precum aſſiduarum penſum exigebat , & propè nunquam à votis ceſſare permittebat . Et gradu 5. de eodem Carcere ſic ; *Qualis autem erat illius loci aſpectus ? tota domus obſcura , & tenebricoſa , tota olens , & fætens , tota ſordida , & ſquallida . Carcer enim & damnatorum ergaſtulum non immeritò appellata eſt .*

D. R. Damnatorum profectò carcer 6
ille erat , ut benè Climacus à te citatus eum appellat ; Qui enim ad hunc carcerem damnabantur , abſolvebantur nunquam . Certè Climacus , qui non ſolùm locum , quem per integrum menſem , quo ibi conſtitit , ſuis oculis perluſtravit , ſed omnia Pœnitentium ibi detentorum exercitia , corporis incredibiles afflictationes , ipſaque eo-

rum

rum ſuſpiria, clamores, & ejulatus ſingillatim deſcribit, ne verbum quidem habet, undè veniam tandem, & abſolutionem eis conceſſam fuiſſe conjectare poſſimus. Imò ſemper abnegatam eis fuiſſe, ſatis innuit, dum uſque ad mortem eos ibi fuiſſe detentos, memorat. Non igitur abſolvebantur in vita, ſic enim de carcere fuiſſent antea eductì, cum abſolutis eo tempore pœna omnis remittererur. Nec abſolvebantur in morte, quam Climacus deſcribens, nunquam meminit Sacramentorum, quibus reficerentur, additque eos, cum morerentur, ſolitos fuiſſe jactari ingenti timore ſalutis ſuœ, quam non adeò incertam habuiſſent, ſi poſt horribilem illam ſuorum corporum carnificinam, veniam tandem à Sacerdote obtinuiſſent.

7 *D. D.* Reſp. primò, carcerem deſcriptum à Climaco, non eſſe ipſam Eccleſiam, quamvis ergo ea fuiſſet in eo ſervata praxis, ut Monachis propter graviſſima ſcelera ibi detentis, nec in morte daretur venia, non indè ſeqaeretur, hanc fuiſſe illis temporibus Eccleſiæ praxim. Et quidem non omnia, quæ ejus loci Præſes agebat, probari fortaſſe

po-

poterunt, ut, quod expoſcentibus prædictis Pœnitentibus ex odio ſui, & humilitate, ut cùm morerentur, ſua cadavera inſepulta proiicerentur feris devoranda, fecerit id aliquando idem loci Præfectus, etiam cum iis, qui ſanctiſſimè mortui fuerant, ut eorum humilitati obſecundaret. Sic enim habet eodem gradu 5. *Quando quis ex illis ſe in valetudinario depoſitum videbat, Præſidem illum eximium per jusjurandum rogabat, nè ſe communi hominum ſepultura dignaretur, ſed more pecudum, vel in flumen abiiceret, vel feris in agro devorandum exponeret. Quod horum Antiſtes prudentiæ lumine precibus illorum obſecutus, ſæpè numero fecit, juſſitque omni exequiarum, & precum funebrium honore privatos foras proiici.* Quod quidem non videtur ſatis rationi conſentaneum fuiſſe.

Reſpondeo ſecundò, improbabile 8 prorſus eſſe, quod prædictis Pœnitentibus fuerit ſemper venia denegata, cùm inter ipſos aliqui eſſent, qui non admodum graviter peccarant, aut ſponte in eum ſe locum, ſanctæ illius aſperitatis amore, conjecerant, quod utrumque idem Climacus teſtatur. Sic enim habet gradu 4. *Unus aliquis è fra-*

à fratribus olim à Præſide ejectus erat è Cœnobio, quod alterum apud ipſum, ut nugacem, & loquacem criminatus eſset. Expulſus autem in veſtibulo portæ totos ſeptem dies ſubſtitit, aſſiduè aditum rurſus ad Cœnobium, & delicti veniam precatus, quod ubi amans ſalutis animarum Præſes cognovit, ſimulque intellexit, illum per ſex dies illos nihil omninò guſtaſse, curavit illi ſignificari, ſi omninò ad contubernium fratrum admitti vellet, ad Pœnitentium Claſsem tranſiret: quam conditionem cùm is, quem facti ex animo pœnitebat, obviis manibus amplexus eſset, juſſit eum Abbas ad locum ſeparatum deduci, ubi morabantur ij, qui peccata ſua plangebant, quod & factum eſt. Gradu autem quinto refert, quendam Monachum vitæ cæteroqui ſanctiſſimæ, ſed ſpiritus nimis ardentis, & fortè de ſe præſumentis, à dæmone tandem in quadam lucta proſtratum ſurrexiſſe ſtatim, & Abbati lapſum ſuum ſpontè prodidiſſe; cùmque Abbas ordinariam, nec valdè gravem pœnitentiam ei vellet imponere, rogaſſe enixè, ut ſe prædicti carceris Pœnitentibus aggregaret, aggregatumque, poſt octo dies, doloris vi, quem de ſuis culpis conceperat, ac divini

amo-

amoris eſtu felicitèr obiiſſe. Quis, rogo, credat, hujuſmodi Pœnitentes fuiſſe toto vitæ ſuæ tempore inque ipſa morte, abſolutionis dono fraudatos? Adde quod, ut omnes eruditi norunt, iis, quibus in veteri Eccleſiâ venia penitùs negata fuit (quod fortaſsè aliqui Epiſcopi rigidiores fecerunt) Pœnitentiam quoque negari conſuevit, nempè facultatem aggregandi ſe reliquis Pœnitentibus. Ut enim inter Cathecumenos non admittebantur, niſi qui eſſent aliquando baptizandi, ità nec Pœnitentibus aggregabantur, niſi qui tandem eſſent reconciliandi. Ergo cum prædictis Monachis, qui deliquerant, non permitteretur ſolum, ſed imponeretur ea illius Carceris graviſſima pœnitentia, iidem tandem à loci Præſide, vel à Monaſterii Abbate reconciliabantur, niſi fortaſsè antequam eò aſportarentur, abſolvebantur, quod etiam probabile eſt. Hinc idem Climacus, loquens de prædicto Monacho, qui poſt octiduum Pœnitentiæ, ex magna contritione deceſſit, refert cuidam Sancto Viro revelatum cœlitùs fuiſſe, Deum pœnitenti peccata remiſiſſe, cum jaceret ſui Abbatis pedibus provolutus, quod non leve

ve argumentum eſt, ab eodem Abbate priùs abſolutũ eum fuiſſe, quàm ad pœnitentialem illum Carcerem aſportaretur, eundemque morem cum reliquis, qui eò mittebantur, fuiſſe cuſtoditum. Nec facit, quod tanto cum timore damnationis æternæ morerentur. Cum enim incerti ſimus, an veniam quam præbet Sacerdos, ratam habeat Deus, eos in nobis obices proſpiciens, quos nec Sacerdos, nec ipſi proſpicimus, ſolicitos ſemper, & pavidos habere nos debet tantæ rei incertitudo, tantumque diſcrimen, habetque, cum noſtrorum criminum gravitatem feriò, ac diù expendimus, ut prædicti Pœnitentes expendebant, quorum ante oculos commiſſi Sacrilegii, violatæque Profeſſionis facies fœdiſſima ſemper obverſabatur. Quarè quamvis tam longam, & gravem de ſe pœnam ſumpſiſſent, arbitrabantur tamen, ſe veniâ Divinâ prorsùs indignos, ſoloque dignos ſupplicio ſempiterno.

CA-

CALUMNIA SECUNDA.

Quibuſdam criminibus, nempè apoſtaſiæ, homicidio, & adulterio, nunquam fuit per aliquot ſæcula data venia.

DISPUTATIO II.

Doct. Diſcr. NOnnulli Scriptores, inter quos Jacobus Sirmondus in hiſt. Pœnitentiæ publicæ cap. 1. & Bonus Merbeſius in ſumma Chriſtiana diſſert. 4. de Pœn. quæſt. 4. aliique tam ſeveras fuiſſe primis duobus Eccleſiæ ſæculis Pœnitentiæ publicæ leges tradiderunt, ut tribus criminibus, Idololatriæ videlicèt, ſeù apoſtaſiæ, 1

mæ.

mœchiæ, & homicidio, nulla prorſus venia daretur.

D. R. Ità profectò factam fuit.

D.D. Ità profectò factum non fuit. Sed ne teramus inutili verborum concertatione tempus, proponam ego argumenta, quæ ſuadent ſententiam meam, auditurus poſteà ex te, quæ tuam, ut vidèris credere, perſuadent. Igitur nulli unquam flagitio negatam ab Eccleſia penitùs veniam, conſtantiſſimè aſſero cum Morino lib. 9. de Pœnit. cap. 20. Cabaſſutio ad Canones Concil. Eliberini, aliiſque. *Ab Eccleſia*, inquam. Quidquid in contrarium faciendum ſenſerit aliqna particularis Eccleſia, & fecerit, contra reliquarum Eccleſiarum, & præſertim Romanæ conſuetudinem.

2 Ad id autem aſſerendum movet Auctoritas Apoſtolorum, Pontificum, Conciliorum, omniumque Doctorum. Communis enim perſuaſio eſt, excommunicationem eſſe omnium pœnarum, quas Eccleſia unquam inflixit, aut etiam infligere poteſt maximam. Non eſſet autem maxima, ſi Eccleſia abſcidiſſet unquam in perpetuum, aut poſſet ſic abſcindere, quod non facit per ex-

com-

communicationem, utpotè pœnam medicinalem, quæ reſipiſcenti remittitur.

Puniunt quidem Apoſtolorum Canones, deſertores fidei excommunicatione, & ſi Clerici ſint, depoſitione, nunquam verò tam ferali perpetuæ abſciſſionis ſupplicio. Quin Canon. 51. jubentur Epiſcopi, Presbyterique Pœnitentes recipere, & quidem omnes, nullus enim excipitur; Et qui eos abjiciunt, de ſuo gradu dejiciuntur. In iis autem Conſtitutionibus, quas Clemens collegit, nihil frequentiùs iidem Apoſtoli Sacerdotibus inculcant, quam ut peccatores (nullo eorum unquam excepto) amanter excipiant, erranteſque oves ad Chriſti caulas reducant, & cap. 18. lib. 2. *recepi mandant, quos Deus recipit*. Eſt autem fide certum, à Deo nulli ritè dolenti veniam negari.

D. R. Quinimò hoc incertiſſimum eſt, 3
aut etiam oppoſitum certum eſt ex Chriſto Domino, ex D. Paulo, & ex Joanne. Chriſtus enim Matth. 12. & Marci 3. docet blaſphemiam, ſeù peccatum in Spiritum Sanctum, nec remittendum in hoc ſæculo, neque in futuro. Paulus autem ad Hebr. 6., ſic habet: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt*

illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & prolapſi ſunt, iterum renovari ad pœnitentiam. Joannes tandem epiſt. 1. cap. 5. *Eſt peccatum* (inquit) *ad mortem: non pro illo dico, ut oret quis*. Eſt igitur aliquod peccatum irremiſſibile in hac providentia, pro cujus proindè remiſſione non eſt orandum; ergo tuum argumentum petitum ex eo, quod Deus remittit omnia peccata, nullum eſt. Et ſi reliqua ſunt hujuſmodi, non eſt, cur ea afferas.

4 *D. D.* Reſp. hujuſmodi objectionibus meum argumentum roborari, non enervari. Eſt enim veritas Catholica, omne peccatum, quod unquam ab homine fiet, poſſe per pœnitentiam remitti. Colligitur autem manifeſtè ex Scriptura invitante omnes peccatores in univerſum ad pœnitentiam. Undè in Cap. *firmitèr de ſumma Trinit.* univerſalitèr docemur, quod ſi poſt ſuſceptionem Baptiſmi, quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram poteſt ſemper pœnitentiam reparari, quod idem ſupponitur in Trident. ſeſſ. 6. cap. 14. & can. 29. & 30. Videri poteſt, Bellarm. lib. 2. de gr. & lib. arb. cap. 5. & lib. 2. de pœnit. cap. 15. Suar. de pœnit. diſp. 8. ſect.

ſect. 1. De Lugo de pœnitent. diſput. 8. ſect. 1. aliique, qui allatos text. optimè explicant, & manibus omnium teruntur, adeòque videri ab omnibus poſſunt.

Redeo igitur ad argumentum, unde me divertiſti, petitum ex auctoritate Apoſtolorum, qui quod verbis docuerunt, factis confirmarunt, nam Paulus 2. ad Corinth. incæſtuoſum hominem, utique męcho deteriorem, poſt non longam pro conditione criminis, ac eorum temporum, Pœnitentiam, abſolvi præcepit. Joannes autem Euangeliſta, ut refert Clemens Alexandrinus aqud Euſeb. cap. 17. lib. 1. Hiſt. Eccl. juvenem quendam à ſe ante aliquot annos ſalutari lavacro tinctum, ſed poſteà factum latronum, graſſatorumque caput, & principem, ipſe quamvis ſenex, quæſivit in ſylvis, inventumque ad Chriſtum per blandiſſima ea verba revocavit, *Ne formides fili, adhuc tibi ſalutis ſpes reliqua eſt*, modo facti pœniteat. 5

Per eadem inceſſiſſe veſtigia Patres, qui Apoſtolis ſucceſſere, teſtatur Concilium Nicænum, dum Can. 12. mandat obſervari *regulam antiquæ legis, ut videlicet, ſi fortè quis* 6

recedat à corpore, neceſſario vitæ ſuæ viatico non defraudetur. Vult ergo, omnes, in morte ſaltem, abſolvi, idque à temporibus Apoſtolorum factum fuiſſe ſatis innuit, quam enim aliam Nicæni Patres vocare potuerunt regulam antiquam, quàm regulam Apoſtolorum? Non igitur cum ullo genere Pœnitentium ſeſe unquam vetus Eccleſia exhibuit implacabilem. Volentibus autem quibuſdam aliam poſt Nicænum Concilium praxim ſtatuere obſtitit primò Julius I. qui ut habetur 12. cap. 26. quæſt. 6. ſic ſtatuit. *Si Presbyter morientibus pœnitentiam abnegarit, reus erit animarum*. Obſtitit ſecundo Cœleſtinus I., qui ep. 2. cap. 2. Epiſcopos quoſdam nimis rigidos ſic redarguit. *Agnovimus pœnitentiam morientibus denegari. Horremus tantæ impietatis hominem reperiri. Quid hoc, rogo, aliud eſt, quam morienti mortem addere, ejuſque animam ſua crudelitate, ne abſolvi poſſit, occidere. Cum Deus ad ſubveniendum ſit paratiſſimus &c.* Cum autem crudelem, & impiam unquam fuiſſe veterem Eccleſiam aſſerere nefas ſit, illud proculdubiò aſſerendum eſt nulli unquam, vel maximo crimini, veniam ab ea fuiſſe penitùs denegatam. Quod à

Tri-

Tridentinis Patribus diſertiſſimè confirmatur. Capite enim 7. ſeſſ. 14. agentes de caſuum reſervatione ſic habent. *Veruntamen piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum SEMPER ſuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque adeò omnes Sacerdotes, quoslibet Pœnitentes à quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſint.* Si cuſtoditum id ſemper fuit in Eccleſia Dei, jam falſum eſt, tribus prioribus ſæculis, Eccleſiam Apoſtatis, Homicidis, & Adulteris veniam abnegaſſe.

D. R. Ego quidem etiam hac in re, quę 7
ad hiſtoriam pertinet, plurimi facio auctoritatem Concilii: at ei videtur adverſari Tertullianus qui libro de Pudicitia cap. 5. Zephirinum Papam redarguit, quòd, cum homicidas nunquam abſolveret, mœchos tamen reconciliaret; ergo tempore Tertulliani in Eccleſia Aphricana neutri abſolvebantur, in Romana ſolus adulter, non autem homicida, & multò minus apoſtata: quam praxim, aut aliam ea rigidiorem Hiſpanis Patribus ſequenti ſæculo, nempè tertiò, placuiſſe Eleberitani Canones demonſtrant.

Digitized by Google

8 *D. D.* Reſp. Tertullianum falſa circa Romanæ Eccleſiæ praxim opinione deceptum fuiſſe, ut fuſè probat Morinus lib. 9. cap. 20. Ea verò fortaſsè fuit erroris occaſio, quod Eccleſia Romana ſeveriùs ageret cum Homicidis, quam cum Adulteris, hoſque, longè citiùs abſolveret, quam illos, quos proindè putavit, veniâ nullâ, quia valdè ſerâ, donatos. Quod autem attinet ad Aphricanam Eccleſiam, fateor, ab ea per aliquot ſæcula, nec Apoſtatas, nec Adulteros, nec Homicidas fuiſſe reconciliatos, ut refert Cyprianvs in epiſt. 52. ad Antonianum. *Et quidem* (inquit) *apud Anteceſſores noſtros quidam de Epiſcopis iſthic in Provincia noſtra dandam pacem Mœchis, non putaverunt, & in totum Pœnitentiæ locum, contrà adulteria clauſerunt*. Sed hæc univerſæ Eccleſiæ praxis non fuit, aut Romanæ, ſed Aphricanorum quorundam Præſulum, qui non ſemel nimio rigore peccarunt, uti etiam fortaſsé Eliberini Patres, de quibus ità Baronius ſcribit ad an. 57. *Auſteriori quodam ſpiritu iidem, qui in eandem Synodum convenere, Patres Sanctiſſimi propemodum viſi ſunt Novatianorum limites attigiſſe*. Eandem ipſis notam inu-

rit,

rit, aut notæ ſuſpicionem eruditiſſimus Dionyſius Petavius in ſuis ad Epiphanium notis: quamvis utrique poſteà eos excuſare conati ſint, ille quidem ad an. 305. hic verò in ſuis ad Syueſium notis (quod etiam facit Cabaſſutius in notitia Conciliorum ad Concil. Illiberit.n.6.) putantes in hujus Concilii Canonibus privatione communicationis in fine vitæ interdici ſolam Euchariſtiam, non verò abſolutionem peccatorum, quibus libenter aſſentior. Cum verò nihil ſuperſit aliud, quod contrà nos afferatur, certum, firmumque ſit, decipi eos, & Calumniari, qui aſſerunt, à veteri Eccleſia tribus illis criminibus initio recenſitis fuiſſe veniam in perpetuum negatam.

CALUMNIA TERTIA.

Iis qui ſtudioſè diſtulerant ad extremum vitæ pœnitentiam, negata penitùs abſolutio fuit.

DISPUTATIO III.

1 *Doct. Diſcr.* MOrinus de Adminiſtrat. Sacram. Pœnit. lib. 10. cap. 1. Gaſpar Ivenin. in Comment. Hiſtorico, & Dogmat. de Sacram. Edmundus Martene de antiquis Eccleſiæ Ritibus cap. 6. art. 2. aliique docent, tribus circitèr prioribus ſæculis negatam ab Eccleſia fuiſſe abſolutionem in morte iis omnibus, qui poſt peſſimam vitam, ad mortem uſque pœnitere diſtulerant. *Tanta fuit* (inquit in loco citato Mori-

Morinus) *eo tempore clementiſſimorum Patrum ſeveritas*, melius dixiſſet *clementiſſimorum Patrum inclementia*. Id autem tam certum eſſe autumant, ut nequeat ullo modo negari. Sua igitur proferant argumenta, ut, ſi ineluctabilia ſint, manus demus. Quid rogo habetis tam forte tam validum?

Doct. Rig. Habemus multa. Habemus primò clariſſimum Cypriani ſuffragium ſcribentis nomine aliorum quoque Epiſcoporum ad Antonianum. *Idcircò frater cariſſime, Pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omninò, cenſuimus à ſpe communicationis, & pacis, ſi in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari, quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte recipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum*. Quid clariùs dici poterat. 2

D. D. Eſto ità ſenſerint aliquot Præſules Aphricani, non indè ſequitur, hunc fuiſſe Eccleſiæ ſenſum. 3

D. R. Hunc fuiſſe demonſtrat is ultimus Canon Arelatenſis primi Concilii. *De*

his,

his, qui apoſtatant, & nunquam ſe ad Eccleſiam repræſentant, nec quidem pœnitentiam agere petunt, & poſteà infirmitate correpti petunt Communionem, placuit eis non dandam Communionem, niſi revaluerint, & egerint fructus dignos Pœnitentiæ. Hìc autem negari cum communione etiam abſolutionem, conſtat ex uſu illorum temporum. cùm autem in hanc Synodum ex tota ferè occidentali Eccleſia, convenerint Patres, nempè ex univerſa Gallia, Italia, Hiſpania, Aphrica, ipſaque Anglia, & Sicilia, ut oſtendit Baron. ad ann. 314., cumque ei præfuerint Sylveſtri Papæ legati, ad quem etiam miſſos fuiſſe hujus Concilii Canones, idem teſtatur, ſequitur manifeſtè, hunc fuiſſe univerſæ, ipſiuſque Romanæ Eccleſiæ ſenſum.

4 *D. D.* Manifeſtam hanc conſecutionem nego, primò quia certum non eſt, conſueviſſe veterem Eccleſiam non abſolvere quos communione privabat, quin oppoſitum fuiſſe ab ea factitatum, pluribus ſuo loco probabo. Nec ſolus hanc ſententiam tueor, ſed alii apud Cabaſſutium, qui agens de hac ipſa pœna ſublatæ etiam in morte communionis tam frequentèr ab Eliberinis

Pa-

bus inflicta, ſic habet in Concil.Illiber.n.7. *Illa Communionis in ipſo exitu vitæ ſtatuta privatio nullatenus reconciliationis, ſeu abſolutionis, ſed Euchariſtiæ Sacramentum adimere cenſenda eſt*. Rationes autem quibus hanc ſuam interpretationem firmat, omnes, quotquot affert, probant, hunc etiam Arelatenſis Concilii Canonem de ſola Euchariſtiæ privatione, non autem de privatione veniæ eſſe intelligendum, ut eum legenti, expendentique ea, quæ mox dicentur, patebit. Secundò refert quidem Baronius, miſſos ad Sylveſtrum Pontificem hujus Concilii Canones, ab eo autem confirmatos fuiſſe non refert; nec ſi referret labantem animum confirmaret, cum in Epiſtola ſcripta ab eadem Synodo ad Sylveſtrum, pro confirmatione Canonum, qui in eadem recitantur, præcitatus Canon non reperiatur, ſed alter oppoſitus, in quo ſine ulla exceptione abſolvi jubentur ij, qui ſunt in mortis periculo conſtituti, nempè is. *De his, qui in infirmitate ſunt conſtituti, & recedere volunt, placuit eis manus imponi*. Idem autem erat ut alibi dicam Pœnitenti manus imponere, ac eum abſolvere: communio autem iiſdem non

con-

conceditur, quia eorum aliqui lapſi erant in culpas, quæ (ut eorum temporum, aut aliquarum Eccleſiarum diſciplina ferebat) perpetua Communionis privatione plectebantur, quò confirmatur, quod dicebam, videlicet non ſemper negatam fuiſſe veniam iis, quibus fuit negata communio. Demum idem Baron. ad ann. cit. num. 52. vehementer ſuſpicatur prædictum Concilium Arelatenſe fuiſſe a Donatiſtis depravatum. Igitur nihil certi ex eo depromi poteſt.

5 *D. R.* Ut ut in aliquibus hujus Concilii authoritas ſumma non ſit, nemo tamen fraudem in prædicti Canonis additione, vel depravatione contigiſſe ſuſpicatus unquam fuit, nec ſuſpicari permittit Innocentius Papa I., qui in ea Epiſt. quam ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum ſcribit, jubet quidem, omnes quamvis ſerò, & ſolùm in morte pœnitentes abſolvi; monet tamen alium fuiſſe veteris Eccleſiæ morem, nempè negandi hujuſmodi Pœnitentibus etiam in morte reconciliationem, & communionem, & ſolùm concedendi ipſis pœnitentiam, nempè jus, ut ſi convaleſcerent, poſſent agere in Eccleſia cum reliquis Pœnitentibus publicam

pœni-

Digitized by Google

pœnitentiam, eâque peractâ tandem reconciliari. Hoc autem jus tradebat hujuſmodi ægris Sacerdos adſcribendo eos in numerum Pœnitentium, ſuperponendo ipſis in lecto decumbentibus cilicium, eaſque interea ſuper ipſos preces recitando, quæ die cinerum ſuper Pœnitentes recitari conſueverant, non autem eos abſolvendo. Prædicti Pontificis verba ſunt hæc. *Et hoc queſitum eſt, quid de his obſervare oporteat, qui poſt Baptiſmum omni tempore incontinentiæ, & voluptatibus dediti in extremo fine vitæ ſuæ pœnitentiam ſimul, & reconciliationem communionis expoſcunt. De his obſervatio prior durior, poſterior, interveniente miſericordia, inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, ſed communio negaretur. Nam cùm illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſæ facilitas homines, de reconciliatione ſecuros non revocaret à lapſu, negata meritò communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitùs negaretur, & duriorem remiſſionem fecit tempore ratio. Sed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, jam depulſo terrore communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam, qua-*

ſi Via-

ſi Viaticum profecturis, ne Novatiani Hæretici negantis veniam aſperitatem, & duritiam ſubſequi videamur. Tribuatur ergo cum Pœnitentia extrema communio, ut homines ejuſmodi, vel in ſupremis ſuis, permittente Salvatore noſtro, à perpetuo exitio vindicentur. Refert igitur Innocentius, hunc fuiſſe morem priorum temporum negandi prædictis, etiam in morte, veniam, & communionem, quem morem ipſe tollit præcipiens, ut omnes reconcilientur, ex ratione ibi allata.

6 *D. D.* Reſp. ex citato textu, corruere Canonem Arelatenſis Concilii, nec probari ab Adverſario, quod intenditur. Refert Innocentius, ſolùm tempore perſecutionum conſueviſſe Eccleſiam negare nimis ſerò pœnitentibus communionem, & reconciliationem, ergò non fuit ea negata à Concilio Arelatenſi, vel ſi negata fuit, non fuit ille Canon approbatus, aut uſu receptus, quandoquidem illud Concilium celebratum fuit poſt pacem Eccleſiæ redditam à Conſtantino, qui eidem Concilio interfuit, nempè anuo 314.

7 Non probatur autem eo textu, quod inten-

intenditur ab Adverſario, imò reprobatur, nam aſſerit Innocentius fuiſſe olim negatam quidem communionem ſerò pœnitentibus, conceſſam verò pœnitentiam, quò nomine deberi intelligi veniam, & abſolutionem, probo ſic contrà Morinum. 1. Quia licèt ſani, qui petebant pœnitentiam, non peterent illicò reconciliari (quod ipſum uſquequaque verum non eſt,) ſed adſcribi numero Pœnitentium, & ſibi imponi ſatisfactionem exhibendam, ut poſtea reconciliarentur; infirmi tamen, & mox morituri dum petebant pœnitentiam, petebant reconciliari ſtatim, cum ſcirent inſtare mortem. Dum ergo dicitur illis conceſſa pœnitentia, ſignificatur, conceſſam eis fuiſſe abſolutionem, & veniam. 2. Julius I. ut refertur 12. cauſa 26. q.6. dicit, *quod Presbyter morientibus pœnitentiam abnegans reus erit animarum*, hoc autem falſum eſſet, niſi cum pœnitentia data fuiſſet abſulutio. 3. Cœleſtinus in ea Epiſtola, quam cap. ſuperiori laudavimus, dum ait *Agnovimus pœnitentiam morientibus denegari*, nomine pœnitentiæ ſignificavit abſolutionem, non enim Epiſcopi illi negabant eam cœremoniam adſcribendi morientes inter

ter Pœnitentes, ſed abſolutionem negabant, quam Pontifex dari mandavit. Ergo dum Innocentius aſſerit conceſſam fuiſſe Pœnitentiam, abſolutionem fuiſſe conceſſam affirmat. 4. In libris Ritualibus veteris Eccleſiæ, in quibus habemus deſciptam cęremoniam dandi pœnitentiam Infirmis, datur eiſdem per eandem cæremoniam abſolutio, ut videre eſt in iis, quos idem Morinus congeſſit in calce ſui operis de Pœnit., & cap. 11. lib. 8. num.6. ubi affert hæc verba libri pœnitentialis Ecberti Cantuarienſis Archiepiſcopi, quem librum idem vocat ibi antiquiſſimum. *Omni tempore quando ad ægrotum veneris data pœnitentia ſtatìm reconcilia eum, ità dicendo, Majeſtatem tuam Domine ſuppliciter deprecamur &c. Miſereatur tui &c.* Ergo hoc erat dare Pœnitentiam Infirmo, nempè ipſum abſolvere per dictam cęremoniam, qua cilicium ipſi decumbenti ſuperponebatur, imponebantur ei manus, recitabantur preces abſolutoriæ &c. Scio hos libros eſſe poſteriores primis Eccleſiæ ſæculis, monet tamen Morinus ipſe lib. 4. cap. 18. n. 1. in eis contineri veteris Eccleſiæ mores, & ritus. Et ſanè quidnam faciebat Sacerdos pœnitentiam concedens

cedens Infirmo, ſi eum non abſolvebat?

D. R. Recitabat eas preces ſuper infirmum, eaque præſtabat, quæ fieri ſolebant, cùm in die Cinerum Pœnitentes ad pœnitentiam publicam admittebantur, ut dictum eſt. 8

D. D. Non recuſo interpretationem, ſed infero, ergo Infirmus abſolvebatur, cum (ut Calumnia 11. probabo) aut prædictæ cæremoniæ continerent veram abſolutionem, aut Eccleſia vetus nunquam abſolverit; cùm enim abſolvit, nihil amplius præſtitit, quod abſolutioni conduceret, quam cùm per prædictas cœremonias pœnitentiam dare conſuevit. 9

D. R. His Innocentii verba repugnant, ait enim, duriorem fuiſſe priorem, & antiquam obſervationem ſolam pœnitentiam prædictis Infirmis concedendi; quod falſum eſſet, ſi ipſis poſt peſſimam vitam, & ſolo mortis terrore pœnitere coactis venia conceſſa foret. Rurſus iiſdem ipſe pœnitentiam, & communionem concedit; ne Novatianos veniam negantes imitari videretur. Ergo niſi conceſſiſſet communionem, & morem antiquum obſervari juſſiſſet, viſus fuiſſet ne- 10

gare veniam, ut Novatiani faciebant, ergo is erat mos antiquus, nempè veniam, & abſolutionem negandi. Et confirmatur, nam controverſia inter Catholicos, & Novatianos erat de negatione veniæ, ſeù abſolutionis, non de negatione communionis, ergò mos antiquus ſi videbatur Novatianiſmus (quamvis non eſſet (negabat veniam, & abſolutionem prædictis Infirmis ex ſolo mortis metu pœnitentibus, non verò ſolam communionem. Deinde vocat eam communionem, *reconciliationem*, ergò Veteres privantes cõmunione prædictos infirmos, reconciliatione eos, & abſolutione privabant. Et confirmatur iterum. Nam prior illa durior obſervatio negandi his Pœnitentibus communionem fuit inducta, ne Fideles de obtinenda poſteà reconciliatione ſecuri faciliùs laberentur, & Chriſtum in tormentis abnegarent, ergò privati Communione non reconciliabantur, alioquin ille mos à lapſu, & Apoſtaſia eos non revocaſſet. Tandem permittit ipſe communionem, ut homines *in ſupremis ſuis à perpetuo exitio vindicentur* ergò qui ea communione privabantur facilè perpetuum exitium incurrebant, ergò non abſolvebantur, ſi enim fuiſſent abſoluti,

tam

tam ſecuri ſalutis fuiſſent, quam poſteà futuri erant conceſſa ipſis communione.

D. D. Valida argumenta ſunt hæc, aut eſſe videntur, ſed longè validiora ſunt illa, quæ ſuadent à vetuſta Eccleſia nunquam fuiſſe prædictis infirmis negatam veniam, adeoque Innocentii verba eſſe aliter interpretanda. 11

D. R. Et quæ nam ſunt iſthæc tam fortia, tam incluctabilia argumenta, ut prædictis Innocentii verbis aliiſque Patrum teſtimoniis validiora ſint?

D. D. Afferam, & modò ſis æquus 12
Judex, non repugnabis. Et primò omnium Theologorum totiuſque Eccleſiæ ſenſus is eſt, & certa perſvaſio, non poſſe licitè Sacerdotem à moribundo verè pœnitente, quamvis ſceleſtiſſimo, rogatum negare ei abſolutionem, & ſi negaret, haberetvr ab omnibus tanquam inhumanus, ergò non potuit Eccleſia, ut id ſieret, ſuo decreto ſancire.

Secundò, hæc etiam eſt omnium 13
Theologorum, totiuſque Eccleſiœ doctrina, nempe obligari omnes Fideles, ſaltem in articulo mortis, ſumere Sacramentum pœ-

nitentiæ, adeoque ipſum petere: hoc autem eſſet falſum; nemo enim tenetur ponere medium inutile, imò illicitum, adeoque petere à Sacerdote, quod is non eſt conceſſurus, nec poteſt licitè concedere; Sacerdos autem veteris Eccleſiæ, ſi (ut fertur) prædictos nimis ſerò pœnitentes abſolvere prohibebatur, eos non poterat licitè, imò nec validè abſolvere, ergò nec ipſi abſolutionem petere tenebantur.

41 Tertiò; Ex mente ipſius Cypriani, non licebat abſolutionem denegare morientibus, quamvis ſceleſtiſſimi fuiſſent, ſi non ſtudiosè diſtulerant pęnitentiam.; ſic enim habet in Ep. 54. ad Cornelium Pontificem, loquens de prædictis, qui in mortis periculo veniam petebant. *Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas, & Divina Clementia Eccleſiam pulſantibus claudi, & dolentibus, & deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari, ut de ſæculo decedentes ſine communione, aut pace Domini dimitterentur*. Et paulò poſt: *Quod ſi de Collegis aliquis extiterit, qui urgente certamine pacem fratribus, & ſororibus non putet dandam, reddet ille rationem in die Judicii Domino, vel importunæ* cen-

cenſuræ, vel inhumanæ duritiei ſuæ. Igitur ex Cypriano eſt importunus, & inhumanus cenſor, peccatque contrà paternam pietatem, qui infirmo, quamvis anteà fuerit ſceleſtiſſimus, veniam negat, ſi non diſtulit in mortem pœnitere, ergò hujuſmodi etiam eſt, nempè inhumanus, & impius, ſi veniam neget infirmo, qui diſtulit pœnitere. Scio, hunc magis deliquiſſe per eam ſtudioſam dilationem, ſed etiam qui à Fide deſcivit, qui Deo maledixit, qui malo Dæmoni Sacrificinm per plures annos obtulit, certè magis peccavit, quam is, qui illicitis voluptatibus detentus ad mortem diſtulit pœnitentiam. Atqui qui primo non differenti Pœnitentiam veniam negat, eſt, ut dicit Cyprianus inhumanitèr durus, & impius, ergò erit hujuſmodi, qui veniam alteri, ob eam pœnitentiæ dilationem nòn impertitur.

D. *R*. Eſt lata diſparitas, nam pœni- 15
tens tam ſerò, & solùm ex metu mortis, præſumitur non verè dolere, ut idem Cyprianus in Ep. ad Antonianum aſſerit, *quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit*, ſecus autem qui ante mortem veniam petit. Prætereà Cy-

prianus in hac Epiſt. 54. ad Cornelium loquitur de Fidelibus, qui ſæviente Decii perſecutione erant à Satellitibns iterum capiendi, & torquendi, ut ergò alacriores ad novam pugnam proſilirent poſt primam, in qua victi fuerant, erant de primo lapſu abſolvendi, quæ ratio tam ſerò pœnitentibus ſuccurrendum eſſe non probat.

16 *D. D.* Reſpondeo primam rationem afferri non poſſe, ſi enim qui ſolùm in morte abſolvi petunt, non verè dolent de peccatis; jam non debuit Eccleſia poſt prima illa tria ſæcula præcipere ut abſolverentur; hoc autem fuiſſe præceptum, & quidem Sanctiſſimè, concedunt omnes; ergò ſi ex ea de falſi doloris perſuaſione in eum rigorem perductus fuit Cyprianus, falſa ipſe perſuaſione deceptus eſt. Altera autem ratio retorquetur in Cyprianum. Ut lapſi in prima pugna Fideles alacriores novum bellum cum Decii ſatellitibus inirent, abſolvi debuere; ergò ut lapſi anteà per totam vitam male traductam, non laberentur iterum in morte, nempè in ea terribili pugna, quam Infernus Draco *habens iram magnam* eo tempore inſtaurat, debuervnt abſolvi; ergò ſi lapſis, de quibus loqui-

loquitur Cyprianus, eſt venia danda, eamque abnegans eſt inhumanus, venia quoque ſerò Pœnitentibus ægris danda fuit, eamque dare renuens debuit inhumanus haberi. Id ſi quis neget, auctoritate Cœleſtini affirmare cogetur, cujus Pontificis decretum in ſuperiori diſputatione ax parte allegatum, hìc totum afferre neceſſe eſt, & hoc erit quartum argumentum.

Is igitur Pontifex cum reſciſſet in Gallia 17 hujuſmodi ægris, qui tandiù pœnitere diſtulerant (de his enim eum loqui fatetur Martene, quem initio citavimus) veniam in morte negari, ſic Ep. 2. cap. 2. ad Epiſcopos Gallicanos ſcribit. *Agnovimus, pœnitentiam morientibus denegari, neè eorum deſideriis annui, qui obitus ſvi tempore hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubveniri. Horremus fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate deſperet, quaſi non poſſit ad ſe quovis tempore concurrenti ſuccurrere, & periclitantem ſub onere peccatorum hominem, pondere, quo ſe expediri deſiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud eſt, quàm marienti mortem addere, ejuſque animam ſua crudelitate, ne abſolvi poſſit, occidere? Cum Deus ad ſubveniendum ſit paratiſ-*

ſimus, & invitans ad pœnitentiam ſic promittat peccatori, inquiens. Quacumque die converſus fuerit, peccata ejus non imputabuntur ei, & iterum, nolo mortem peccatoris, ſed tantum convertatur, & vivat. Salutem ergò homini adimit quiſquis mortis tempore pœnitentiam denegaverit, & deſperat de Clementia Dei, qui eum ad ſubveniendum morienti ſufficere, vel in momento poſse, non credit. Perdidiſset latro in Cruce præmium ad Chriſti dexteram pendens, ſi illum unius horæ pœnitentia non juviſset. Vera ergò ad Deum converſio in ultimis poſitorum, mente potiùs eſt æſtimanda, quam tempore, Propheta hoc taliter aſserente. Cum converſus ingemueris, tunc ſalvus eris. Cum ergò Dominus ſit cordis inſpector, quovis tempore non eſt deneganda pœnitentia poſtulanti &c. Igitur ex Cœleſtino, committit horribilem impietatem, & crudelitatem, ipſaſque animas perimit, qui ægros prædictos tam ſerò pœnitentes non abſolvit. Atqui Eccleſia nunquam potuit præcipere aut probare morem horribiliter impium, & crudelem, quo animæ mors æterna inferatur: ergò Eccleſia nunquam probavit, aut probare potuit, nè dum præcipere, ut venia ſic diffe-

differentibus pœnitentiam negaretur.

D. R. Cæleſtinus non redarguit factum ſed cauſam facti, nempè errorem prædictorum Epiſcoporum, qui putabant, a Deo non remitti prædictum peccatum nimiæ dilationis, deſperabantque de Divina Clementia, & propterea veniam negabant, ut patet ex citatis verbis, hinc totus eſt in probando, Deum remittere quodvis peccatum, & quovis tempore.

D. D. Imò factum redarguitur à Pon- 19
tifice, nam ſolum factum ipſi relatum fue-
rat. Sic enim redarguere cœpit, *Agnovi-
mus Pœnitentiam morientibus denegari, nec
eorum deſideriis annui, qui obitus ſui tempore
hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubveniri.*
Ecce tota eorum quærela, qui prædictos
Epiſcopos accuſarant, in qua nihil de præ-
dicto eorum errore in fide, & ſpe Divinæ
clementiæ, & rurſus dum addit id eſſe ægro-
rum animas perimere per horribilem crude-
litatem, utique factum damnat, præciſè ex
damno illato ipſis animabus, & non ex eo-
rum Sacerdotum errore. Quamvis, quia
hoc faciebant, aut fieri permittebant illi
Epiſcopi ex aliquo errore, putantes non

qui-

quidem Deum non poſſe condonare omne peccatum, aut non condonare de facto, cum pœnitens ſe diſponit (is enim fuiſſet error intolerabilis, qui cadere non potuit in ejuſmodi Epiſcopos) ſed non eſſe ſufficientem eam brevem diſpoſitionem, & dolorem, quem prædicti ægri poſt vitam tam malè traductam, & ex metu mortis concipiebant, ideò Pontifex, ut radicitus nimium illum rigorem evellat, oſtendit Deum eſſe promptiſſimum ad ignoſcendum, & ſatis eſſe ad hanc veniam obtinendam, breviſſimam pœnitentiam, etiam in morte conceptam.

Et confirmatur alio decreto, nempè Sancti Leonis Primi, qui epiſt. 89. ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum, agens de his ipſis, qui differunt ad ultimum vitæ terminum pœnitentiam, ſic habet. *His autem qui in tempore neceſſitatis, & in periculi urgentis inſtantia præſidium Pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda, quia miſericordiæ Dei, nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras converſio, dicente Spiritu Dei per Prophetam. Cum converſus ingemue-*

mue-

mueris, *tunc ſalvus eris*. Et alibi: *Dic tu iniquitates tuas*, *ut juſtificeris*. Et iterum. *Quia apud Dominum miſericordia*, *& copioſa apud Deum redemptio*. *In diſpenſandis itaque Dei donis*, *non debemus eſſe difficiles*, *nec accuſantium ſe lacrymas*, *gemituſque negligere*, *cum ipſam pœnitentiam ex Dei credamus inſpiratione conceptam*, *dicente Apoſtolo*, *ne fortè det illis Deus pœnitentiam*, *ut reſipiſcant à Diaboli laqueis*, *à quo capti tenentur ad ipſius voluntatem*. In hoc Leonis reſponſo notanda præſertim ſunt aliqua, & primò ea verba, *quia miſericordiæ Dei*, *nec menſuras poſſumus ponere*, *nec tempora definire*, quibus oſtenditur, quod qui veniam negat his ſerò pœnitentibus, ponit eos terminos miſericordiæ Dei, quos ipſe Deus non poſuit, quod ſine temeritate fieri non poteſt; quarè meritò aſſerit, non poſſe Eccleſiam hoc facere. Ergo Eccleſia nunquam id fecit, alioquin eraſſet faciendo quod facere non poterat. Secundò, notanda ſunt illa *in diſpenſandis Dei donis non debemus eſſe difficiles*. Ergo non debuit unquam negari abſolutio moribundo, utcumque dolosè diſtulerit pœnitere. Quæ enim major difficultas in diſpenſandis Sacramentis

eſſe

eſſe poteſt eâ, qua quis recuſat eum abſolvere, qui in ipſo vitæ exitu, atque imminentis jam judicii limine ſuppliciter, & cum lacrymis reconciliationem expoſcit, ex qua pendet æterna ſalus, ætetnumque ſupplicium?

21 *D.* ℞. Debuit in tempore pœnitere (reſponderent Cyprianus, aliique Patres Eccleſiæ vetuſtæ, qui ſeras hujuſmodi lacrymas neglexere) ſibi imputet Eccleſiæ difficultatem, & rigorem.

D. D. Sed cur tam ſeras lacrymas non deſpicit Leo, monetque non eſſe deſpiciendas? *Non debemus*, inquit, *accuſantium ſe lacrymas, gemituſque negligere*. Audiamus optimam rationem. Quia *credere debemus, pœnitentiam eſſe ex Dei inſpiratione conceptam*. Credant rigidi Doctores horum pœnitentiam eſſe ex metu mortis, nempè, ut ipſi dicunt, ex amore proprio profectam, ego credam cum Leone, horum, aliorumque pœnitentiam eſſe ex Dei inſpiratione conceptam, & quoniam ita eſt credendum, ſemper aſſeram, ita veterem Eccleſiam, quæ errare non potuit, credidiſſe, nec unquàm ſerò pœnitentibus veniam abnegaſſe. Quod autem dicebatur; *Debuit in tempore pœnitere, nec tandiù*

dif-

differre, non ſatis benè dictum eſt. Jam enim nunquam abſolvi pœnitens deberet, debuit enim non peccare, & rurſus nec is, qui ſuâ culpâ in gurgitem prolapſus eſt, & poſteà pœnitens facti cum lacrymis auxiliares manus expoſcit, exaudiendus erit, quamvis extrahi facillimè poſſit; debuit enim ſe non præcipitare. Num culpa non careat tanta inclementia, & culpa carebit omni, eritque veteris Eccleſiæ præconium, quod Pœnitentes in culpam lapſos, jamque æterno exitio abſorbendos, quamvis facillimè in tuto collocari poſſent, otioſa ſpectarit? An verò major corporum cura habenda eſt, quam animarum?

Sed redeundum eſt ad Leonem, ſiquidem poſt allegata verba hortatur Fideles ne *differant converti de die in diem*, *illiuſque temporis anguſtias eligant*, *quo vix inveniat ſpatium*, *vel confeſſio Pœnitentis*, *vel reconciliatio Sacerdotis*. Statim verò ſubdit. *Verum ut dixi*, *etiam talium neceſſitati ità auxiliandum eſt*, *ut nec actio illis Pœnitentiæ*, *nec communionis gratia denegetur*, *ſi ea*, *etiam amiſſo vocis officio*, *per indicium integri ſenſus quærere comprobentur*. *Quod ſi aliqua ægritudine ita fuerint* 22

rint aggravati, ut quod paulò antè poſcebant, ſub præſentia Sacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, ut ſimul, & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequantur. Quis credat veterem Eccleſiam his ægris, veniam vocibus, & multo gemitu expoſcentibus denegaſſe, quibus nec gementibus, nec loquentibus, ſed ſolum indicantibus votum ſuum, veniam plenamque communionis reconciliationem concedi vult Leo antiquorum Canonum retinentiſſimus, undè hìc ſtatim jubet ſervari paternos Canones, in reconciliandis iis, qui fidem deſerendo peccarant.

23 Hæc ſanè ſufficiant. Recolenda tamen ſunt, ut veritas illuſtretur magis, ea duo, quæ Capite præcedenti attulimus, nempè Canon duodecimus Nicænus, quo Patres, non ſolùm volunt, neminem in morte communione privari, ſed prætereà mandatum hoc vocant regulam antiquam. Ergo falſum eſt, ſerò Pœnitentibus fuiſſe antè Nicænum Concilium veniam in morte negatam. Alterum eſt, quod aſſerit Tridentinum, nempè ſemper cuſtoditum in Eccleſia fuiſſe, ut quilibet in morte à quibuſvis cenſuris, & peccatis,

catis, poſſet abſolvi; ergo falſum eſt, aliquando ex ipſius Eccleſiæ Canone fuiſſe aliquibus in morte, eo quod ſerò eos pœniteret, veniam denegatam.

D. R. Manus darem, ſed adhuc negotium faceſſunt ea Innocentii verba non improbantis, imò approbantis rigorem antiquum, quem ibi ſupponit, Eccleſiæ praxim fuiſſe, negandi, non ſolùm communionem, ſed veniam iis, quos nimis ſerò ſuorum ſcelerum pœniteret, ut prædicta ejus verba ſignificare quatuor argumentis validiſſimè oſtenſum eſt ex Morino. Certè Innocentius nec errare potuit in eo, quod refert de ea veteri praxi, utpotè illis temporibus vicinus, nec in eo quod docet, approbando ipſam: vel ſi potuit errare Innocentius, errare potuit Cœleſtinus, Leo, & ſi qui ſunt alii Pontifices, qui prædictum veteris Eccleſiæ rigorem reprobare videntur. 24

D.D. Reſpondeo, verba Innocentii poſſe ſine ulla vi ità exponi, ut non ſignificent, conſueviſſe veterem Eccleſiam negare omnem veniam ſerò Pœnitentibus, adeoque ex illis non conſtare, ab eo approbatum fuiſſe hujuſmodi rigorem, quamvis dicat 25

eis

eis meritò negatam fuiſſe communionem. At è contrà verba Cœleſtini, & Leonis, ità clarè reprobant prædictum rigorem, ut de mente ipſorum dubitari non poſſit. Igitur iis omninò adhærendum eſt.

D. R. Hoc ipſum negatur, Innocentii verba non eſſe clariſſima expendentibus, ut nos fecimus, totum Sancti Pontificis textum. Ex eo enim clariſſimè habetur, veterem Eccleſiam, non ſolam communionem, ſed veniam quoque prædictis ægris negaſſe.

26 *D. D.* Id etiam concedam, nego tamen omnem veniam negaſſe. Hoc ille textus non exprimit, cumque duplicis interpretationis ſit capax, jam ità explicandus eſt, ut Cœleſtino, Leoni, communi Theologorum, & Eccleſiæ ſenſui non adverſetur. Duo igitur ſupponenda. Primum eſt, duplicem ab Eccleſia veteri concedi ſolitam peccatorum abſolutionem, unam purè Sacramentalem per eos ritus, & preces, quas peragebat Sacerdos, cum aliquem in Pœnitentium numerum referebat, ut oſtendere conabor, cum contrà undecimam Calumniam diſqutabo. Per hanc abſolutionem reconciliabatur quidem Pœnitens cum Deo, ſed non cum Eccle-

ſia,

ſia, cui per publicam pœnitentiam ſatisfaciendum prius erat, nec cum Altari, quare jus minimè dabat ad communionem.. Altera venia, ſeù abſolutio, quæ impletâ ſolùm pęnitentiâ dabatur, erat utriuſque fori interni, externique: per eam quippè Pęnitens reconciliabatur iterùm cum Deo, & poſteà cum Eccleſia, cui ſatisfactum erat & cum Altari, ad quod accedere poterat ut offerret, & ut cum aliis Fidelibus de Sanctiſſimâ Euchariſtiâ communicaret.

Supponendum ſecundò eſt, conſueviſſe 27
Patres duo Fidelibus inculcare perpetuò, nempè vim pęnitentiæ, ideſt externarum corporis afflictationum, ad obtinendam à Deo remiſſionem plenam peccatorum, culpæ videlicèt, & pęnæ. Et rurſus virtutem maximam Euchariſtiæ ad deſtruenda peccata. Nam Ignatius epiſt. 14. ad Epheſ. vocat hoc Sacramentum *vitam in Deo concilians*, *medicamentum purgans vitia*, *& omnia pellens mala*. Cyprian. ſerm. de Cęna Domini, dicit, *eo extingui peccatum*, & obtineri veniam. Ambroſ. lib. de Benedict. Patriarc. cap. 9. *Panis hic remiſſio peccatorum eſt*, quod ipſum docet ſerm. 17. in Pſalm. 118. & lib. 2. de

Pęnit. cap. 3. Chryſoſt. hom. 83. in Matth. de eo loquens, *remiſſionem* (inquit) *peccatorum facit*. Similia habet Aug. cap. *cum omne crimen* de conſecr. diſt. 2. & Cyrill. lib. 4. in Jo: cap. 14. utiturque exemplo Chriſti, qui tactu ſuo mortuos vivificabat.

28 His poſitis, cùm poſt primam abſolutionem adhuc Pęnitentes, tanquam rei haberentur ab Eccleſiâ, cum qua nondum erant reconciliati, nec liberi adhuc eſſent à reatu pęnæ, utpotè non perfuncti pęnitentiâ, privarenturque Euchariſtiæ Sacramento, quo remitti peccata audiebant, illud fiebat, ut primâ veniâ donati, vix abſolutos ſe crederent, aut non ſatis tutos, donec donarentur etiam ſecundâ, quam propterea qui negabat preſertim moribundo, Novatianiſmum quendam præferebat, ut ait Innocentius, & alicui periculo exponebat ægrotum, privans ipſum eâ ulteriori reconciliatione, & communione, eâ ferè ratione, qua ſi nolim moribundo miniſtrare Sacramentum pęnitentiæ, alicui illum periculo expono, quamvis noverim, eum antea contritionis formulam etiam ex animo recitaſſe.

Video, tibi hæc non ſatis arridere, nec vi-

videri tibi ſatis luminis inde affulgere ad Innocentii textum declarandum, ſed illud tecum perpende, argumenta, quibus probavimus, non fuiſſe ſerò pœnitentes ab Eccleſia unquam rejectos, petita ab univerſo Theologorum, imò Eccleſiæ conſenſu, ex evidenti ratione, ex clariſſimo Cœleſtini, & Leonis reſponſo, ex Canone Nicæno, & præſertim doctrinâ Tridentini eſſe ineluctabilia; adeoque aut aſſerendum, Innocentium in referendâ, aut approbandâ eâ veteri conſuetudine erraſſe, quod aſſeri non debet, aut ejus verba hac, vel ſimili ratione, qua ipſum explicuimus, eſſe interpretanda.

CALUMNIA IV.

Reis ad mortem damnatis olim Eccleſia veniam negavit, aut negari permiſit.

DISPUTATIO IV.

1 *Doct. Diſc.* MOrinus cap. 1. lib. 10. probare contendens, ab Eccleſia veteri negatam fuiſſe veniam iis, qui pœnitentiam ad extremum vitæ terminum differebant, ut hanc praxim reddat minus mirabilem, & minus odioſam, alteram crudeliorem proponit. Expoſita igitur hac ſua ſententia, ſubdit. *Ne verò hanc tantillam ſeveritatem exhorreſcas, id obſervatum eſt in Gallia ad annum* 1396. *in criminum reos morti condemnatos. Sacramentum pœnitentiæ illis denegabatur, & in hunc uſque diem, Sacramentum Eucha-*

riſtiæ

riſtiæ illis denegatur. Quibus verbis videtur aſſerere, hanc etiam fuiſſe praxim Eccleſiæ, quamvis poſtea ab eâdem fuerit reprobata, ut aliæ multæ. Si enim hæc Eccleſiæ praxis nunquam fuit, ſed aliquorum Principum exceſſus, jam per hanc non excuſatur prior illa, quam excuſare contendit. Igitur id etiam erit inter reliquas calumnias recenſendum, & cum reliquis rejiciendum.

Doct. Rig. Fateberis tamen id fuiſſe ſæ- 2
piſſimè factitatum, nec ab Eccleſia per aliquot ſæcula fuiſſe vetitum, ſed potius permiſſum; & quidem factum perſæpè id eſſe produnt hiſtoriæ. Referam ordine temporum aliquot exempla. Sub finem ſœculi ſexti Daco quidam, teſte Gregorio Turonenſi lib. 5. hiſt. cap. 26. cum vinctus teneretur à Chilperico, & cerneret ſe non poſſe mortem evadere, à Presbytero (Rege neſciente) pœnitentiam petiit. Cur Rege neſciente? niſi quia Rex, ut mos ferebat, minimè conceſſiſſet. Sæculo octavo Corbinianus Friſigenſis Epiſcopus cum Adalberti cujuſdam ſuſpendio plectendi vitam à Judice obtinere non potuiſſet, curavit clanculum excipere ejus confeſſionem, ut ſcribit Aribo in ejus vita cap.2. Cur autem

clanculum ? niſi quia permiſſus alioqui non fuiſſet ? Sæculo nono Patres Concilii Vormatienſis fuerunt à quibuſdam interrogati, an hujuſmodi homines eſſent in morte Sacramentis muniendi, & poſt mortem oblationibus, & Miſſis juvandi, quod innuit, conſueviſſe tunc neutrum fieri. Circa idem tempus Dido Laudunenſis Epiſcopus, reo extremo ſupplicio plectendo, pœnitentiam per confeſſionem petenti negavit, ut habet Flodoardus lib.4. hiſt.Rhemen.cap.6. Sæculo undecimo, Henricus Roberti Normannorum Ducis frater Conano cuidam, qui Rotomagum Guillelmo Rufo prodete tentaverat, ad mortem damnato, & pro amore Dei, confeſſionem ſibi permitti expoſcenti denegavit, ut ſcribit Ordericus Vitalis lib. 8. ad an. 1090. Sæculo duodecimo Sancta Hildegundis aſſumptâ veſte virili, & ementito nomine Joſeph, pro latrone comprehenſa, cum videret ſe jam fore damnandam, Sacerdotem rogavit, ut ſe confitentem audiret, & Sacramentum Euchariſtiæ miniſtraret, quod ægrè obtinuit, haud dubium, quia concedi non ſoleret. Sæculo decimotertio, nempè anno 1261. Bonifacius Cantuarienſis Archiepiſcopus in con-

ſtitu-

ſtitutionibus provincialibus editis in Concilio Lambetenſi, ejuſdem conſuetudinis tunc in eo Regno communis, meminit, uti etiam Concilium Londinenſe, paulò poſt celebratum, nempè anno 1268. Sæculo decimoquarto perſeverabat ea in Gallia, & vix eſt initio Sæculi decimiſexti, penitus ſublata.

Fuiſſe autem ab Eccleſia hunc uſum ap- 3
probatum, aut ſaltem permiſſum in juſtam delictorum vindictam, & ad cæteros à majoribus maleficiis abſterrendos, probatur 1. ex tam frequentibus exemplis,tamque diuturnâ hujus praxis perſeverantiâ. Eccleſiâ enim repugnante, factum id tandiù non fuiſſet. Probatur 2. ex eo quod non auſus fuiſſet hunc morem approbare Robertus Pullus S. R. E. Cardinalis, ut fecit ſcribens in lib.6. ſentent. cap. 55. *Quod ſi* (inquit) *eum, qui in confeſſione eſt reus, reum quoque Divina pandant judicia (judicia enim Dei abyſſus multa) non videtur ad Sacerdotem pertinere ad hujuſmodi accedere debere. Ex quo enim Dei judicio convictus, aut ipſo in maleficio deprehenſus Judici mundano traditur, Judicem pro Sacerdote habet, quoniam ipſi occulta ſcelerum pandere oportet, à quo pro ipſis pœnam recipiet. Nam ſi tales viſitet Sacer-*

Digitized by Google

dos pravorum flagitia roborantur ſpe confeſſionis, & Eucbariſtiæ, ità Pullus,

4 *D. D.* Nec probatum id unquam ab Eccleſia fuit, nec permiſſum, itàut non reclamarit, ut ſervato eodem ſæculorum ordine demonſtrabo. Prætereo Nicænæ Synodi, Cæleſtini Primi, & Leonis Primi Decreta ſuperiùs allata de quibuslibet in morte abſolvendis, uti etiam Canonem 13. Concilii Andegavenſis, *ut Pœnitentiæ locus omnibus pateat, qui converſi errorem ſuum voluerint confiteri*, quod ipſum ſtatuit Concilium Epaunenſe, cujus eſt is Canon. 36. *nè ullus ſinè remedio, aut ſpè veniæ ab Eccleſia repellatur*, eaque ſola afferam, quæ rem ipſam, de qua agimus, ſpeciatim tangunt.

5 Et primò Concilium Vormatienſe agens de iis, qui ſuſpenduntur in patibulis c. 80. ſic ratiocinatur. S*i omnibus de peccatis ſuis, puram Confeſſionem agentibus, & dignè Pœnitentibus communio in fine, ſecundum Canonicum juſsum danda eſt, cur non etiam iis, qui pro ſuis peccatis pœnam extremam perſolvunt? Scriptum eſt enim non vindicat Deus bis in idipſum: nam Dominus ait, in quocumque die converſus fuerit peccator, peccata ejus non reputabuntur ei &c.* Indè idem

Con-

Concilium ſubdit eadem ipſiſſima verba Cæleſtini Primi in reſponſione ad calumniam præcedentem à nobis allegata, quod ſanè oſtendit eo Cæleſtini decreto præcipi, ut omnes omnino, qui in morte veniam petunt, quocumque tandem mortis genere decedant, & cujuſcumque ſint culpæ rei, abſolvantur; atque hanc ſolam ſemper fuiſſe ab Eccleſia probatam praxim, nec aliam permiſſam. Concilio Vormatienſi concinit Triburienſe cap.31.quod eſt *de furibus, & latronibus*. Idem enim ſtatuit, ſuumque ſtatutum prædicto canone Nicæno, decretiſque Innocentii, & Cæleſtini, à nobis allegatis, aliiſque hujuſmodi juribus confirmat; oſtenditque iterum, hanc ſemper fuiſſe Eccleſiæ perſuaſionem, per ea decreta, omnes omnino, qui in morte veniam, & Communionem petunt, comprehendi: Verba hujus Synodi ſunt hæc: *Si fur vel latro vulneratus elabitur, & expectatione mortis deſperatus putatur, atque reconciliari ſe Myſteriis Sacroſanctis habitu corporis, & voluntate piæ mentis deprecatur, Deoque, & Sacerdoti, comite vitâ, emendationem morum, & actuum confitetur, Communionis gratiam non negamus tribuendam. In Nicæno namque Concilio, ſtatutum*

tutum legimus, ſi quis egreditur de corpore, ultimo, & neceſſario Viatico, minimè privetur. Item de ultima pœnitentia in Ep. Innoc. Papæ cap. 21. Tribuitur ergò cum pœnitentia eſtrema communio, ut homines hujuſmodi, vel in ſupremis ſuis, permittente Salvatore Noſtro, à perpetuo liberentur exitio. Item de eodem Carthaginenſi 7. & Cæleſtini 15. ubi ait. Quid rogo, aliud eſt ultimam Pœnitentiam negare periclitanti, quam mortem addere morienti?

Factum Didonis Laudunenſis Epiſcopi damnavit Fulco Remenſis Archiepiſcopus; apud Flodoardum à te cit. Tam barbaram conſuetudinẽ improbarunt in Anglia utrumque illud Concilium Lambetenſe, & Londinenſe ſuperius laudatum, quin etiam Reges ipſi Aluredus, & Eduardus, editis in gratiam damnatorum confiteri volentium Sanctiſſimis Legibus, quas confirmavit Canutus Rex, additis pœnis in Judices, qui eas violarent. In Gallia verò Clemens Papa Quintus in Concilio Viennenſi, conſtitutionem edidit ad hujuſmodi abuſum damnabilem abolendum, quæ habetur in lib. 5. Clementinarum tit. 9. cap. 1. eamque ut major indè timor exiſteret in tranſgreſſores, edicto ſuo obſervari omnino

man-

mandavit Carolus Sextus. Tandem Beatus Pius V. non abſolutionem tantum, ſed etiam Euchariſtiam ultimum ſupplicium ſubituris præberi juſſit, ut habetur in ejus vita lib. 2. cap. 3. & conſtat ex hac ejus ad ſuum Nuntium epiſtolâ.

Venerabili Fratri Joanni Baptiſtæ Archiepiſcopo Roſſanenſi, Noſtro, & Sedis Apoſtolicæ in Hiſpaniarum Regnis apud Regem Catholicum Nuntio.

PIUS PAPA V.

VEnerabilis frater, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Relatum eſt Nobis, non permitti in iſtis Hiſpaniæ partibus, ut à Judicibus temporalibus propter delictorum gravitatem capitis damnati, poſt confeſſionem Sacerdoti factam, Sacrum Euchariſtiæ Sacramentum accipiant. Id Nos eis minime denegandum eſſe cenſemus; cùm Chriſtianæ charitati magis conveniat, eos ad reſi-

reſiſtendum tali tempore fortiùs diabolicis tentationibus Sacrâ Communione muniri; ùt, perituro corpore, ſaluti animæ, quantùm fieri poteſt, ſubveniatur. Itaque hunc abuſum, qui Sacris etiam Canonibus repugnat, tolli cupientes, Fraternitatem tuam de hac re cum chariſſimo in Chriſto filio noſtro Rege Catholico agere volumus, eique ſignificare, placere Nobis, ùt ſupplicium ultimum ſubituris, pridie quàm illo afficiantur, poſt confeſſionem Sacerdoti factam, Dominici corporis viaticum concedatur; quod per totam Hiſpaniam, & alias Provincias, & loca ditionis Suæ, hortaberis eum, ùt, ſicuti ejus pietate dignum eſt, poſthac jubeat obſervari. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XXV. Januarii MDLXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

CALUMNIA QUINTA.

Iis qui poſt ſolemnem Pœnitentiam relaberentur, Eccleſia vetus veniam, & abſolutionem etiam in morte negavit.

DISPUTATIO V.

Doct. Diſc. Hinc etiam veterem Eccleſiam laudant aliqui.

Doct. Rig. Et jure laudant.

D. D. O laudem crudelem, veramque calumniam.

D. R. Num calumniatores fuere Patres, qui hanc fuiſſe veteris Eccleſiæ conſuetudinem communi conſenſu affirmant?

D. D.

Digitized by Google

D. D. Nego,id à Patribus affirmari.

D. R. Negas?

D. D. Iterum.

D. R. Quid, ſi afferam clariſſimos eorum textus?

D. D. Textus afferes, eoſque clariſſimos, ſed aliud affirmantes.

1 *D. R.* Quid, rogo, aliud, quam, quod intendo, affirmat Ambroſius, dum lib. 2. de Pœnit. cap. 10. ait. *Sicut unum Baptiſma, ita una Pœnitentia.* Quid Auguſtinus, dum ep. 54. ad Macedonium ita ſcribit. *Poſt actam Pœnitentiam non conceditur in Eccleſia locus humillimæ Pœnitentiæ.* Quid Siricius, dum ep. 1. ſic pronunciat. *Qui actâ Pœnitentiâ tamquam canes & ſues ad vomitus priſtinos, & volutabra redeunt, ſuffragium non habent pœnitendi.* Quid clarius dici poterat? *Poſt actam Pœnitentiam non conceditur iterum Pœnitere. Qui ſemel egrê pœnitentiam*, ſi relabantur, *non habent amplius ſuffragium pœnitendi.* Igitur non abſolvebantur amplius. Nunquam enim Eccleſia vetus, niſi poſt actam pœnitentiam, abſolvit.

D. D. Igitur omnibus, qui eſſent relapſi, abſolutio negabatur?

D. R.

D.R. Non quidem omnibus, ſed ijs,qui eſſent relapſi poſt ſolemnem pœnitentiam. Hos non audiebat amplius vetus Eccleſia, ut humanâ fide, & Myſterijs Divinis prorſus indignos.

D.D. Non igitur Eccleſia vetus omnibus Recidivis abſolutionem negare conſuevit, ſed aliquibus ſolùm, nempe relapſis in graviſſima crimina, quibus expiandis agebatur ea publica & ſolemnis Pœnitentia. Quid ergo vos, ò rigidi Doctores, ut Confeſſariis minùs eruditis imponatis, obtruditis perpetuò morem antiquum negandi veniám relapſis, perinde cum relapſis omnibus egerit Eccleſia tam ſeverè, & non cum pauciſſimis? Quod ipſum nego. Nego fuiſſe ab Eccleſia rejectos hos ipſos, qui poſt actam ſemel pro graviſſimis culpis ſolemnem pœnitentiam in eaſdem fuerant relapſi. 2

D. R. Tam citò mente excidit, quod modo ex Ambroſio, Auguſtino, & Siricio recitabam?

D. D. Mente non excidit, quod antea quàm recitares, non ignorabam. Ad ſolemnem Pœnitentiam, quæ habebatur veluti Baptiſma, nolebant Patres, admitti eos, qui iterum 3

rùm ea graviſſima peccaverant, pro quibus publicè defleverant. Id concedo, ergo nolebant eis veniam & abſolutionem tribui. Hanc conſequentiam nego. Eadem etiam modo apud ſacræ Fidei Quæſitores diſciplina viget, ut relapſis denunciatis, & convictis publica pœnitentia & abſolutio denegetur, hinc brachio ſeculari traduntur, Sacramentum tamen Pœnitentiæ, & venia eis ſecreta conceditur. Non igitur ex eo quod relapſis ea ſolemnis pœnitentiæ profeſſio, & publica reconciliatio olim negaretur, colligere licet, omnem prorſus veniam eis fuiſſe denegatam.

4 *D. R.* At id docent eruditi omnes, Dionyſius Petavius in notis ad Epiphanium, hæreſi 59. Albaſpinæus Epiſcopus Aurelianenſis obſervationum lib. 1. obſervat. 6. Morinus de Pœnit. lib. 5. cap. 28. Edmundus Martene de antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 6. art. 2. num. 5. aliique.

D. D. Ego verò concedi non poſſe, oſtendam, ſalvâ auctoritate Conciliorum, & Pontificum.

D. R. An prædicti Scriptores ignorarunt Canones Conciliorum Pontificumque?

D. D. Id ego non aſſero, quamvis non

pau-

paucos agnoſco, qui callent optimè quid Concilium Gangrenſe, quid Ancyranum, quid Laodicenſe ſtatuat, ignorant autem Canones Tridentinos.

D. R. An habes aliquid in Tridentino circa preſentem quæſtionem?

D. D. Illud habeo, quo præcedentes 5
calumnias diſieci, quodque huic etiam diſſipandæ aptiſſimum eſt,& quoniam te oblitum video, iterum Concilij verba recito. *In Eccleſia Dei* (inquiunt Patres ſeſſ.14. cap.7.) *cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque adeo omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſent*. Si ſemper quilibet Sacerdos potuit quemlibet morti proximum abſolvere, jam falſum eſt quod dicis cum tuis omnibus eruditis, eam regulam quatuor primis ſeculis fuiſſe cuſtoditam, ut Relapſis poſt pœnitentiam, nec in morte venia daretur? Quid inquis hominum erudiτiſſime? Eruditus non ſum, non verti ſuſdeque veterum bibliothecas, non legi corroſa tineis manuſcripta, quæ vos legitis homines eruditi,ut veteres Cronologos,& magni nominisHiſtoricos emendetis, ut hiſtoricodogmaticas Theologias plenas

Patribus, ſed contrarias Patribus, antiquitatem ſonantes, & novitatem ſpectantes cudatis. Quæ vos legiſſe gloriamini, iterum dico, non legi; legerunt tamen quæcumque vos legiſtis, Patres Concilii Tridentini, de quo Cardinalis Pallavicinus ſuæ hiſtoriæ lib. 12. cap. 12. hec habet. *Sibi quiſque meritò perſuadere poteſt, quidquid eximii de hoc argumento* (nempe pœnitentia, de qua ibi agebatur) *apud controverſiarum de Religione ſcriptores extat, id omne ab egregiis illis viris, in conuentibus, quos habebant ante ſeſſiones, fuiſſe productum*. Legerunt ergo etiam ipſi quæ habet Tertullianus, quæ Cyprianus, quæ Ambroſius, Auguſtinus, & Siricius, quæ reliqui omnes Patres, quæ vetuſta Concilia, quæ libri Rituales, Sacramentarii, ſeu pœnitentiales Gregorii, Bedæ, Theodori, Ecberti, aliorumque, & tamen pronunciant eum morem fuiſſe ſemper cuſtoditum, ut omnes, omnes, omnes pœnitentes à quibuslibet peccatis, à quibuslibet, ideſt quamvis graviſſimis, quamvis iterum poſt peractam pœnitentiam, poſt abſolutionem millies obtentam, patratos poſſent abſolvi, ergo nunquam fuit ullo canone cautum ut qui fidem publicã publico relapſu
vio-

violaverat, nunquam abſolveretur. Igitur poterant abſolvi.

D. ℞. Poterant abſolvi, ſed non fuerunt abſoluti. 6

D. D. Falſum eſt igitur quod antea dicebas, Patres noluiſſe eos abſolvi. Nam ſi nolebant Epiſcopi, jam non poterant à quolibet abſolvi, ut potuiſſe, Tridentinum diſertè pronunciat. Rurſus ſi conſuevcrat omnibus negari, ut omnibus negatur, iterum baptizari, unde illud, *Sicut unum Baptiſma, ita una Pœnitentia*, jam conſuetudo in legem abierat, non ergo cuique licebat illam infringere. Verum id obtinuiſſe quod negabas, non ſatis eſt, volo integram victoriam, volo te non victum tantum ſed profligatum. Dico igitur, non ſolum poterant abſolvi, ſed fuerunt abſoluti ſaltem in Eccleſiis bene adminiſtratis.

D. ℞. Id certe probabis nunquam, cum ſint nimis multa contra te teſtimonia, & prorſus invicta ea quæ ex ipſis conficiuntur, argumenta.

D. D. Non probabo? Probavi. Recole 7
quæ contra præcedentes calumnias congeſſi; argumenta quæ protuli, Canonem Apoſtolorum, & Niceni Concilii, Pontificum demum,

nempe Julii, Cæleſtini, & Leonis reſponſa, nec dubitabis aſſerere, jam fuiſſe probatum, quod modo pronuncias, nunquam fore probandum. Quod ſi eorum oblitus es, in memoriam breviter revocabo. Apoſtoli Canone 51. jubent omnes recipi, qui reſipiſcunt. Igitur ſi relapſi reſipiſcant, rejici non poſſunt, & ſi rejiciantur, Apoſtolico præcepto non paretur. Atqui dicendum nou eſt Eccleſiam bene gubernatam præceptis Apoſtolicis repugnaſſe, non igitur rejecit, ergo veniam non negavit: id enim eſt ibi Pœnitentes rejicere, ut eoſdem recipere, abſolvere eſt,

D. R. Interpretationem non probo.

D. D. Sed ea eſt Nicenorum Patrum, qui prædicto Apoſtolorum mandato, quod *regulam antiquam* vocant, inhærentes, ſtatuunt Can. 11. *ut ſi forte quis recedat à corpore neceſſario vitæ ſuæ viatico non defraudetur*.

D. R. Nimirum, ſi quis *non relapſus* recedat à corpote, viatico Sacramento muniatur.

8 *D. D.* Sed hoc eſt cavillari, non interpretari: eſt jura pervertere, non explicare, cum jura clament omnia, *non eſſe diſtinguendum ubi lex non diſtinguit, beneficium Principis*

amplian-

ampliandum, & ſola odia reſtringenda. Sed vos triſtiſſima capita, hoſteſque generis humani odia dilatatis, & beneficia ipſa Divina reſtringitis, & neſcio quo jure tamquam Domini, & non Economi, Sacramenta pro libito denegatis. Non ſic effecerunt Patres Triburienſes, qui cap.31. quod eſt, *De furibus & latronibus* amplè intelligendum prædictum Nicenum Canonem judicarunt, uti etiam ea Julii primi 12.cauſa 26.quæſt.6.& Celeſtini epiſt.2.cap.2. reſponſa, quibus impii & crudeles appellantur, qui pœnitentiam morientibus, quamvis ante mortem ſceleſtiſſimè vixerint, audent denegare.

D. R. Pœnitentiam dixit uterque Pontifex eis eſſe concedendam, non autem *veniam*. Inter pœnitentes videlicet eos adnumerari jura volebant, qui hoc in morte ſolatium peterent, non autem abſolvi.

D. D. Fuerit ergo crudelis, & impius qui ceremoniam illam adſcribendi Pœnitentibus ægrum jam moriturum detrectabat, nec fuerit impius & crudelis, qui veniam ipſam neceſſariam pleriſque ad æternam ſalutem præbere renuebat? Fuerit impius qui actionem vix Sacramentalem facere, ægro conſo-

lando abnuebat, pius autem fuerit,qui eidem ſalvando Sacramentum miniſtrare recuſabat? Quis hæc ſine indignatione audiat?

D. R. Cave ne indigneris: alioquin Doctoris benigni nomen amittes.

D. D. Tunc potius nomen implebo. Vera enim benignitas eſt vobiſcum non eſſe benignum, & peremptores animarum,ut vos Julius, & Cæleſtinus appellat, acriter inſectari.

9 *D. R.* Interemptores igitur animarum dicendi erunt Eliberini Patres, quos tamen Sanctiſſimos Baronius appellat an. 57. eorum quippe Canones hì ſunt. *Si poſt pœnitentiam fuerint mechati* (Sacerdotes) *placuit ulterius eis non eſſe dandam communionem, ne luſiſſe de dominica communione videantur* cap. 3. *Si quis forte fidelis poſt lapſum mechiæ poſt tempora conſtituta acta pœnitentia denuo fuerit fornicatus, placuit eum nec in fine habere communionem.* Cap.7.

D. D. Vis me in neceſſitatem conjicere damnandi eos Patres ut aliqui magni nominis Scriptores fecerunt. Ego verò non faciam, & communionem ab eis negatam fuiſſe concedam, non verò ſecretam veniam & abſolutionem;

nem;hanc verò fuiſſe quandoque impertitam etiam iis, quibus interdicebatur communio, in undecima diſputatione demonſtrabo. Interpretationem non admittis? Velis nolis admittes: Attende. Dixiſti paulo ante compulſus auctoritate Tridentini, potuiſſe quidem in mortis articulo abſolvi à quovis Sacerdote relapſos Pœnitentes, ſed non fuiſſe abſolutos: ergo Canone Eliberino non prohibentur abſolvi, jam enim ab Diæceſis Eliberinæ Sacerdotibus non potuiſſent abſolvi, ergo ne tibi contradicas, probare cogeris interpretationem meam. Quid in hac argumentatione negas? Quid accuſas? Effer. non habes quid reſpondeas? Da manus.

D. R. Fateor, non habeo quid reſpondeam. Sed habeo quod opponam: nec ipſe reſpondere poteris, ut alii nequiere.

D. D. Experire.

D. R. Ex tua ipſa doctrina argumen- 10
tum peto. Concedis, hujuſmodi Pœnitentibus, qui poſt ſolemnem pœnitentiam relapſi erant, non conſueviſſe Eccleſiam iterum concedere ſolemnem pœnitentiam, & publicam reconciliationem,ſed ſolum ſecretam veniam. Infero:ergo melior erat conditio relabentium,

quam primò labentium; labentibus enim reditus ad Eccleſiam niſi poſt actam publicam, & ſeveriſſimam plurium annorum pœnitentiam non patebat, ſecus verò relabentibus, ſi ad communionem pacemque reverti, privatæ pœnitentiæ beneficio potuiſſent. Atqui nemo tam vecors erit, qui humaniùs cum illis actum putet, qui in eadem ſæpius incurriſſent, & quidem horrenda flagitia, quam cum iis, qui ſemel ea commiſiſſent; ergo dicendum omnino eſt, nec privatam veniam fuiſſe relapſis tributam. Sic arguit Petavius in loco ſuperius citato, Petavius, inquam, quantus homo!

D. D. Petavium plurimi facio, non item hoc ejus argumentum, quamvis invictum à te, & commilitonibus tuis habeatur. Prima ejus ſolutio eſt, (ut vocant) inſtantia manifeſta petita ex manifeſto uſu, qui etiam nunc viget in Tribunali ſacræ Inquiſitionis, de quo ſupra egimus, reconciliandi videlicet lapſos, non vero relapſos denunciatos, & convictos, quibus tamen non interdicitur confeſſio ſacramentalis, & venia ſecreta. Si verò dicis, relapſos graviùs puniri in eo Tribunali, dum traduntur brachio ſeculari, à quo ſeveriſſi-

riſſimo ſupplicio afficiuntur, idipſum dicam ego factum tunc fuiſſe cum relapſis graviùs punitis alia ratione nobis ignota, vel etiam hac eâdem, quod lapſi per publicam pœnitentiam declinabant forum civile, relapſi verò hoc privilegio minime fruebantur. Eſt etiam altera inſtantia petita ex ipſa antiquitate. Vos enim ipſi conceditis, poſt quatuor prima ſecula fuiſſe relapſis veniam impertitam: & conſtat ex Decreto Siricii Papæ, qui Eccleſiam, vergente in finem quarto ſeculo, gubernavit. Is enim Himerio Tarraconenſi, qui hanc ipſam ei quæſtionem propoſuerat, qua videlicet ratione agendum eſſet cum relapſis, ſic reſpondet. *De his vero non incongruè dilectio* 1 r
tua Apoſtolicam Sedem credidit conſulendam, qui acta pœnitentià tamquam Canes, & ſues ad vomitus priſtinos, & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos appetivere concubitus, quorum profeſſam incontinentiam generati poſt abſolutionem filii prodiderunt. De quibus quia ſuffragium non habent Pœnitendi, id duximus decernendum, ut ſola intra Eccleſiam Fidelibus oratione jungantur, Sacræ myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interſint, à Dominicæ

nicæ autem menſæ convivio ſegregentur, ut hac ſaltem diſtrictione correpti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſcænis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatici munere cùm ad Dominum cæperint proficiſci per communionis gratiam volumus ſubveniri. Quam formam etiam circa mulieres, quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandam eſſe cenſemus. Quod ſane decretum male interpretatur Morinus eo cap. 29. lib. 5. num. 6. putans Siricium non loqui de relapſis in eadem vel ſimilia peccata, propter quæ pœnitentiam egerant, ſed de iis, qui ſolum violaverant pœnitentiæ leges, nempe Eccleſiaſticas conſtitutiones, quibus Pœnitentes prohibebantur militiam profiteri, matrimonia contrahere &c. Illa enim verba, *qui tamquam Canes ac ſues ad vomitus priſtinos, & ad volutabra redeunt*, ſonant ſatis clarè relapſum ad antiqua crimina, quæ pœnitendo defleverant, ut Juenim homo cæteroqui Morino non infenſus monet de Sacram. diſſer.6. quæſt. 9. cap. 1. art. 2. §.2. eaque alia verba, *quatenus ab obſcænis cupiditatibus retrahantur*, oſtendunt, agi de iis qui voluptatibus per ſe illi-

illicitis vacabant. Præterquam quod tam ſevera pœna, qualis eſt ea privatio communionis uſque ad mortem nunquam irrogata fuit ab Eccleba violantibus preciſe ejus præceptum, quod preſertim non eſſet præcipuum, ſed eſſet quædam aliorum appendix, in quo facile diſpenſaretur, ut erat illud, quo matrimonium, & ejus uſus, Pœnitentibus interdicebatur. Agit ergo Siricius de verè relapſis in eaſdem graviſſimas culpas, eoſque à ſolemni pœnitentia rejectos abſolvi præcipit. Cùm autem imprudens aut injuſtum hoc Siricii decretum fuiſſe, dicendum non ſit, id omnino aſſerendum eſt, aut non fuiſſe mitiùs actum cum Relapſis, quamvis tandem abſoluti fuerint, aut citra omnem imprudentiam, & injuſtitiam potuiſſe eos mitiori pœna puniri, quam ſemel lapſi punirentur. Quid mihi ſic inſtanti reponis? Expecto, quid moraris? Vibraſti telum: excuſſi, retorſi ſimile in vibrantem, jam non urgeor, urgeris ipſe: tibi igitur, non mihi reſpondendum priùs eſt. Expedire te neſcis? Expediam te, unâque tuum argumentum ſolvam: & primò reſpondeo non ſequi ex noſtra ſententia, eâque praxi Siricii quod mitiùs actum fuerit cum relapſis, quàm
cum

cum ſemel lapſis, quamvis enim illi ab onere ſolemnis pœnitentiæ eſſent immunes, adhuc prægravi pœnitentià premebantur, quod facile intelligent ji qui bene norunt veteris Ec-
12 cleſiæ diſciplinam. Illud igitur ſciendum eſt primò, publicam illam, & ſolemnem pœnitentiam quam perpetuò in veſtri rigoris patrocinium reſonatis, minus ſeveram & aſperam fuiſſe, quam creditis, quod in nona diſputatione demonſtrabo. Sciendum eſt 2. ea in Pœnitentes bona & commoda ex publica & ſolemni pœnitentia redundaſſe, ut eâ carere, maximi ſupplicii loco haberetur ab iis, quos verè ſuorum ſcelerum, in quæ relapſi fuerant, pœnitebat, quod infra oſtendam. Sciendum eſt 3. maximam ſolemnis pœnitentiæ partem etiam Relapſis impoſitam fuiſſe, quod ſtatim probo. Igitur præcipua, & maxima pars ſolemnis aut publicæ eorum temporum pœnitentiæ non ſita erat in veſte pulla, aut cineracea, aliiſque hujus generis, quæ poſt aliquod tempus facile ab Epiſcopis condonabantur, ſed in ea Pœnitentis à reliqùis Fidelibus ſegregatione, itaut eodem in loco cum ipſis in templo conſiſtere non poſſent, non offerre munus ad altare, offerenti-

bus

Digitized by Google

bus omnibus, & vix unquam Euchariſtiæ Sacramento reſoveri. Hæc potiſſimum Pœnitentis animum feriebant. Id ut conſtet monere debeo fuiſſe eo tempore ſolemnem Pœnitentiam pœnam voluntariam, non coactam. Quamvis enim qui magis deliquerant, eam ſubire per Canones juberentur, non tamen vì adigebantur, ut poſtea, nempe ſeculo octavo, in aliquibus regionibus fieri cæptum eſt. Solemnem igitur pœnitentiam ii ſoli ſubibant, qui non exiguo ſenſu pietatis, acrique dolore tangebantur. Iis autem, utpote ſuæ ſalutis ſtudioſis erat intolerandum ſupplicium manere ſic ſegregatos, non ſua ad Altare cum reliquis, ut ea ætate mos erat, dona deferre, videre omnibus Sanctiſſimum Chriſti Corpus deferri, ejuſque ſanguinẽ propinari, & interim manere jejunos, ſiccoſque per publicam ſententiam prohibitos communibus Eccleſiæ, ipſiuſque Dei beneficiis frui, & rurſus digito notari tamqua nominis Chriſtiani propudium. Verum hac etiam pœna Pœnitentes abſolvebantur poſt aliquod tempus, & quidem eo maturiùs, quo citiùs abſolvi verè percuperent, quo majora videlicet pœnitentiæ, & emendationis ſigna præ-

berent.

berent. Id enim à Patribus, & Synodis perpetuò monebantur Epiſcopi,ut multum deflentes, & verè emendatos benigne haberent, nec tam ſerò in antiquam dignitatem reſtituerent. Relapſi è contra, quamvis Sanctiſſimè viverent, totoſque deflerent dies, & annos, nunquam ante mortem ex Decreto Siricii, vel ſolum ad tempus ex aliquorum Pontificum benignitate, ad myſteria Divina admittebantur. Quantum verò ſupplicium hoc erat, quàm eo tempore acerbum, quo tam frequens erat Euchariſticæ cõmunionis uſus, tam ardens ejus deſiderium, eaque fidelium perſuaſio, ut in tertia diſputatione num. 28. monui, non obtineri certiorem illam, niſi ab Altaris Sacramento, ſuorum criminum remiſſionem?

13 Addo aliquid mirabilius, hoc ipſo ſeveriſſimè puniebantur relapſi, quod ipſis non permitteretur profiteri ſolemnem Pœnitentiam, ut ſeveriſſimè plectitur qui à baptiſmo, quem petit, tamquam indignus rejicitur, vel ab ordine Religioſo, qui cæteroqui maximæ pœnitentiæ locus eſt, expellitur, utque ex Auguſtino is qui corrigentem non audit, acerbiſſima pœna afficitur, dum ejicitur, ac

deſe-

deſeritur. *Illud enim quod ait, ſi nec Eccleſiam audierit, ſit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus, gravius eſt, quam ſi gladio feriretur, ſi flammis abſumeretur, ſi feris ſubrigeretur, nam ibi quoque ſubjunxit. Amen dico vobis, quæ ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in Cælis, ut intelligeretur, quanto graviùs ſit punitus, qui velut relictus eſt impunitus*. Id autem pœnæ genus erat acerbiſſimum eorum temporum Fidelibus, qui à Patribus perpetuò docebantur, publicam ſolemnemque pœnitentiam eſſe velut alterum Baptiſma, vel quoddam martyrium, ut eam vocat Chriſoſtomus in pſal. 50. ac proinde eà perfunctum ad eum reſtitui ferè candorem, ac pulchritudinem quam confert expiantis aquæ lavacrum, nec ſolum detergi maculas omnes ex peccatis actualibus relictas ſed fere condonari pænas quaslibet ex quavis eulpa ſolvendas. *Qui egerit veraciter pœnitentiam* (monebat Auguſtinus homil. 41. ex 50.) *& ſolutus fuerit à ligamento quo erat obſtrictus, & à Chriſti corpore ſeparatus, & bene poſt pœnitentiam vixerit, ſicut ante pœnitentiam vivere debuit, poſt reconciliationem, quandocunque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit*, exolutus videlicet

non

non ſolum culpa, ſed pœnà. Et Cyprianus lib. de lapſis. *Qui ſic Deo ſatisfecerit, qui pœnitentia facti ſui, qui pudore delicti, plus, & virtutis, & fidei de ipſo lapſus ſui dolore conceperit, exauditus, & adiutus à Domino, quam contriſtaverat nuper, lætam faciet Eccleſiam, nec jam ſolam Dei veniam merebitur, ſed coronam,* tamquam de martyrio lacrymarum.

14 Hinc, ut conſtat ex Scriptoribus illorum temporum, & colligitur ex innumeris decretis Conciliorum, ſolemnis pœnitentia ſummis precibus petebatur, & ut ipſius Morini (lib.5. cap.31.) verbis utar, *beneficium magnum illis ſeculis reputabatur, Pœnitentiæ, juxta Eccleſiaſtica præcepta, agendæ jure potiri*; multique tanquam indigni rejiciebantur, ut alibi ſatis oſtendimus. Hanc autem maxime probroſam repulſam tolerare per totam vitam cogebantur Relapſi, ac mori abſoluti quidem à vinculis culpæ, ſacroque viatico refecti, non tamen hoc ſecundo lavacro expiati, & pœnis omnibus exoluti.

Et quidem hanc habitam verè fuiſſe loco ſeveriſſimæ pœnæ alia veteris Eccleſiæ praxis confirmat. Fuit autem ea de qua egimus calumnia 1. nempe negandi ſolemnem Pœni-

Pœnitentiam Sacris Eccleſiæ Miniſtris, in quædam graviora prolapſis, quod quidem factum fuit, non quòd mitiùs cum Clericis ageretur, quàm cum Laicis: conſtat enim ſeveriùs illos punitos fuiſſe, hinc Novatianus quidam Epiſcopus apud Socratem lib. 7. cap. 25. ſic alloquitur Atticum Epiſcopum Conſtantinopolitanum. *Præter peccatum Idololatriæ ſunt alia multa peccata ad mortem, uti ex ſacris literis perſpicuum eſt, ob quæ vos ſolum Clericos, nos Laicos etiam communione excludimus, poteſtate ſoli Deo, illis ignoſcendi relicta.* Cum ego ſoleret Clericus ſeveriùs puniri quàm laicus, & Clerico negaretur publica pœnitentia, non Laico, nec illi infligeretur alia pœna, quæ ſolemnis pœnitentiæ acerbitatem æquaret; dicendum eſt, magnam pœnitentię partem ſitam in eo fuiſſe, quod ſolemnis Pœnitentiæ profeſſio negaretur.

D. R. Eſt alia ratio de Clericis, alia de 15
Relapſis. Illis negabatur ſolemnis Pœnitentia (ut ipſe in prima diſputatione monuiſti) in gratiam Ordinis Clericalis, & ad ſcandalum avertendum, quod populo fuiſſet ſpectaculum illud Clerici, quem ſine labis ſuſpicione eſſe deceret, pro graviſſimis crimini-

bus veniam in ſordibus & cilicio flagitantis. Quamvis autem inde fieret, ut Clerici peccantis pœna minor eſſet, quàm laici, minus malum id eſſe putavit Eccleſia, quàm illud. Falſum eſt igitur Clerico negatam fuiſſe in Pænam profireri ſolemnem Pœnitentiam.

D. D. Nego conſequentiam. Utrumque verum eſt, nempe Clerico in pœnam, ut probavi, & ſimul ad impediendum ſcandalum, ut dicis, fuiſſe negatam ſolemnem Pęnitentiam. Si tamen primum illud obſtinatè negas, non reſiſtam; novam enim mihi rationem, qua ſolvam propoſitum argumentum, oſtendis. Dicis, mitiùs actum eſſe cum Clericis, quàm cum laicis eadem peccantibus, quamvis idem delictum, ex. gr. homicidium commiſſum a Clerico longe gravius ſit, & majori pœna dignum, quam à laico patratum; id autem factum ſapienter fuiſſe ad impediendum ſcandalum; ergo ex eàdem, aliiſque hujuſmodi rationibus ſapienter potuit Eccleſia mitiùs agere cum Relapſis, quam cum lapſis. Ingenti enim ſcandalo fuiſſet unverſo populo ſpectare iterum inter pœnitentes hominem tot cœremoniis, tot precibus cum Deo & Eccleſia reconciliatum,

audire

audire ejus relapſus, & nova crimina, cùm
deflere vetera debuiſſet. Jam cępiſſent Fideles
contemptui habere pœnitentiam, quam pro-
inde peragere neglexiſſent. Non id aſſero di-
vinando, didici ex Suario qui diſp.18. ſect. 1.
num.13. ſic habet. *Pœnitentia ſolemnis ſemel* 16
tantùm concedebatur, vel ad majorem terrorem,
ne contemneretur, vel forte nè aliis eſſet ſcanda-
lo, ſi ſæpius talem pœnitentiam aliquis ageret.
Id autem Suarius didicit ex Auguſtino, qui
Epiſt.54. ad Macedonium ſcribens, *Cautè*,
inquit, *ſalubriterque proviſum eſt; ut locus il-*
lius humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia con-
cedatur, ne medecina vilis minùs utilis eſſet ægro-
tis, quæ tantò magis ſalubris eſt, quantò minùs
contemptibilis fuerit. Sapienter igitur Eccle-
ſia vetus publicam, & ſolemnem Pœniten-
tiam Relapſis negavit, iiſdemque poſtea ſe-
cretam abſolutionem indulſit, ut ſapienter
hanc ipſis Clericis impertivit, quibus ſimili-
ter ſolemnem pęnitentiam interdixit:utrum-
que ex ratione non abſimili, illud ne Ordo
Pœnitentium vileſceret,hoc ne vileſceret Or-
do Clericorum, utrumque ad Populi offen-
ſionem, & ſcandalum avertendnm; quam-
vis per utramque hanc legem minori pœna

plecterentur qui majora crimina perpetrarant. Habes tuum illud invictum argumentum duplici reſponſione victum, & profligatum. Prima eſt (ut quæ dicta ſunt, redigam in ſummam) non ſequi ex noſtra ſententia; quod mitiùs actum fuerit cum Relapſis, quam cum iis, qui primùm lapſi eſſent, quod illis loco maximæ pœnitentiæ eſſet, non poſſe ſolemniter pœnitere, nec poſſe cum non Pœnitentibus Altaris epulo recreari. Secunda eſt, ut ut ex noſtra ſententia ſequatur, quod mitiùs ſit actum cum Relapſis quam cum iis, qui ſemel delequiſſent, nego id malum non fuiſſe alio majori bono ſapientiſſimè compenſatum, ut contigit in pœna Clerici criminoſi. Facti optimam rationem attuli ex Auguſtino, cui, ut arbitror, non repugnabis.

17 *D. R.* Imò, ne repugnem Auguſtino tibi aſſentiri non poſſum. Et quidem ex illa ipſa Sancti Doctoris epiſtola ad Macedonium probatur validiſſimè, Relapſos nunquam fuiſſe ab Eccleſia abſolutos; conqueſtus enim erat per epiſtolam Macedonius Africæ præſes, de Epiſcopis, quod intercederent pro reis perinde ac iſta interceſſione oſtenderent,

ſe

ſe non ſatis odiſſe eorum peccata, quorum pœnam deprecabantur, cùm è contra ſic Deus odio habeat peccata, eaque prohibeat (dicebat ille) *ut ne pœnitendi quidem copia poſt primam pœnitentiam tribuatur*. Quod exemplum profectò non adduxiſſet Macedonius, ſi Eccleſia ſoleret ſecretam ſaltem abſolutionem hujuſmodi Relapſis impertiri; & rurſus reſpondiſſet Auguſtinus, eum falli in ea Eccleſiaſtici rigoris opinione, cùm potius mos contrarius abſolvendi ſaltem ſecretò Pœnitentes relapſos obtineret, quod ipſe non fecit, ſed confugit ad miſericordiam Dei, qui relabentibus non ſtatim iraſcitur, ſed eis quoque ſubminiſtrat vitæ munera, ut ante; ſic enim reſpondit. *In tantum autem hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam poſt actam pœnitentiam, poſt Altaris reconciliationem, vel ſimilia, vel graviora committant. Et tamen Deus facit etiam ſuper tales oriri ſolem ſuum, nec minus tribuit, quàm antea tribuebat, largiſſima munera vitæ, ac ſalutis*. Ecce nihil meminit veniæ, ut ita dicam, extrapœnitentialis, ipſis ab Eccleſia tandem conceſſæ. Proſequitur poſtea idem S. Doctor: *Et quamvis in Eccleſia locus humillimæ pœnitentiæ non*

concedatur, *Deus tamen ſuper eos ſuæ patientiæ non obliviſcitur*. Ecce iterum, non dixit, Eccleſia tamen etiam hos ſaltem in morte abſolvit, ſed, *Deus tamen ſuper eos ſuæ patientiæ non obliviſcitur*, pergit. *Ex quorum* (relapſorum) *numero ſi quis nobis dicat*, *Aut date mihi eumdem pœnitendi locum*, *aut deſperatum me permittite*, *ut faciam quidquid libuerit &c. Aut ſi me ab hac nequitia revocatis*, *dicite*, *utrum mihi aliquid proſit ad vitam futuram*, *ſi in iſta vita illecebroſiſſimæ vitæ blandimenta contempſero*, *ſi libidinum incitamenta frenavero. Quis noſtrum ita deſipit*, *ut huic homini dicat*; *nihil tibi iſta proderunt?* Vult autem prodeſſe non quidem ad veniam qualemcumque à Sacerdotibus obtinendam, de qua ne verbum quidem habet, ut habere debuiſſet, ſi Sacerdotes eam impertire conſueviſſent, ſed ad obtinendam veniam à Deo, qui miſericors eſt etiam erga Relapſos ſine detrimento ſuæ ſanctitatis, & bonitatis, quare ſubdit: *Quis tamen audeat dicere Deo*, *quare huic homini*, *qui poſt primam pœnitentiam rurſus ſe laqueis iniquitatis obſtringit*, *adhuc iterum parcis?* Ergo tempore Auguſtini nullo modo abſolvebantur Relapſi, ſaltem in Eccleſia Africana, quem

morem fuiſſe etiam in Eccleſia Mediolanenſi, & multò ante in Eccleſia Orientali, colligitur ſatis clarè, illud ex S. Ambroſio, hoc ex Origene; ille enim loco ſuperiùs cit. *Sicut unum Baptiſma, ita una pœnitentia, quæ tamen publicè agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati, ſed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.* Hic autem homil. 15. in cap. 25. Levit. *In gravioribus criminibus ſemel tantùm pœnitentiæ conceditur locus: Iſta vero communia, quæ frequenter incurrimus, ſemper pœnitentiam recipiunt, & ſine intermiſſione redimuntur.* Igitur ſola communia, & minùs gravia expiabantur ſecreta pœnitentià, enormia verò per ſolam publicam, idque ſemel. Quod confirmant Patres Concilii Toletani 3. Can. 11. qui ſic
habet. *Quoniam comperimus per quaſdam Hi-* 18
ſpaniarum Eccleſias non ſecundum Canones, ſed fœdiſſimè pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties à Presbiteris ſe reconciliari expoſtulent, ideo pro coercenda tam execrabili præſumptione id à Sancto Concilio jubetur, ut ſecundum formam Canonum antiquorum detur pœnitentia, hoc eſt, ut priùs eum, quem ſui pœnitet facti, à Communione ſuſpenſum faciat inter reliquos Pœnitentes ad

manus impoſitionem crebrò recurrere. Expleto autem ſatisfactionis tempore, ſicut Sacerdotalis contemplatio probaverit, eum communioni reſtituat. Hi verò qui ad propria vitia (audi attente) *hi verò qui ad propria vitia vel intra pœnitentiæ tempus, vel poſt reconciliationem labuntur, ſecundum priorum Canonum ſeveritatem damnentur*, id eſt non amplius abſolvantur. Hæc igitur fuit ex Patribus Toletanis veteris Eccleſiæ praxis, is Canon antiquus. Demum illa eadem interrogatio Epiſcopi Himerii ad Siricium ſcribentis, oſtendit tunc conſueviſſe, non abſolvi ullo modo relapſum poſt ſolemnem pœnitentiam, nam ſi conſueviſſet abſolvi per pœnitentiam ſecretam, non conſuluiſſet ea ſuper re Pontificem, vel Pontifex conſultus reſpondiſſet, faciendum quod hactenus fecerat Eccleſia, rejiciens quidem eos à publica pœnitentia, ſed in morte veniam indulgens; quo vel ſimili modo non reſpondit, ſed ita, ut manifeſtè appareat, eum novum jus condere, quod non dum innotuerat Epiſcopis Africanis, inter quos erat Auguſtinus, qui proinde prædicto modo Macedonio reſpondit. Hoc argumentum eſt ita validum ut validius afferri vix queat in controverſia moris antiqui.

D. D.

D. D. Melius dixiſſes,eſſe ita validum, 19
ut præcedens fuit invictum. Dico igitur quod aliàs monui, iſthæc moleſtiam facere ignoranti mores, & ſenſus veteris Eccleſiæ, apud quam fuit duplex genus abſolutionis, non ſolum ut modò, una à cenſuris, altera à culpis, ſed à culpis utraque, ſaltem plerumque, una tamen ſecreta, quæ ſtatim tribuebatur poſt confeſſionem, ut ſuo loco probabo, & per eam reconciliabatur Pœnitens cum Deo, altera verò publica, quæ præbebatur poſt abſolutam pœnitentiam,per quam etiam cum Eccleſia reconciliabatur Reus,& ſumendi Sacramentum Altaris facultatem obtinebat. Prima abſolutio ſatis erat iis, quorum peccata nec publica fuerant, nec enormia: hæc enim qui commiſerant, alteram quoque veniam quærere, & expectare jubebantur. Cum Sacerdos primo modo abſolvebat, dicebatur abſolvere Deus, quatenus abſolvebat preciſe, ut Chriſti miniſter, & Vicarius in Sacramento, ut ipſe idem antequam abſolveret, diſertè ſignificabat. Cùm autem ſecundo modo abſolvebat, dicebatur abſolvere etiam Eccleſia, quatenus Epiſcopus abſolvens non ſolum abſolvebat ut Chriſti miniſter, & vica-

rius

rius in Sacramento, ſed etiam ut ſuperior Eccleſiaſticus, & nomine Eccleſiæ, quæ ſic abſolvens, ſibi à Pœnitente ſatisfactum fuiſſe pronuntiabat, unde verbis, quibus primam veniam dabat, alias cæremonias, & actiones adjungebat, quibus alteram quoque veniam ab ſe tribui, ſignificabat.

20 His præmiſſis, quæ ex dicendis ſuo loco, & præſertim diſputatione XI. clariora fient, nego S. Auguſtinum non meminiſſe veniæ, & abſolutionis, quæ Relapſis tandem daretur. Non meminit quidem ſecundæ abſolutionis Eccleſiaſticæ, quæ certè non dabatur unquam Relapſis utpote qui ad ſolemnem Pœnitentiam non admittebantur, at meminit primæ, nempe abſolutionis veluti Divinæ, quæ tandem etiam his dabatur à Deo per miniſtrum ſuum; unde illud, *quis tamen audeat dicere Deo: Quare huic homini, qui poſt primam pœnitentiam rurſus ſè laqueis iniquitatis obſtringit, adhuc iterum parcis?* Quod confirmo ex contextu, & ex aliis S. Doctoris textibus; ex contextu quidem, nempe ex illis verbis, *& quamvis in Eccleſia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur* Relapſis, quibus ſatis innuit, conceſſum quidem in Eccleſia fuiſſe etiam

ipſis

ipſis locum aliquem Pœnitentiæ, quem videlicet Siricius in ſuo Decreto ipſis attribuit, ſed non eum locum, quem occupabant agentes-ſolemnem, & humillimam pœnitentiam in eas quatuor ſtationes diſtributam, poſtquam tandem Eccleſiaſtica etiam abſolutione donabantur. Rurſus idem S.Doctor affirmat ideo Eccleſiam non conſueviſſe concedere ſecundam Pœnitentiam, ne contemptui haberetur, & vileſceret: ergo eam ſolam externam pœnitentiæ actionem negavit, quæ ab iiſdem iterata viluiſſet, non autem veniam. Non ſemel autem monet eâdem Epiſtolâ, Deum veniam præbere etiam relapſis. Cur ergo eam negatam ab Eccleſiâ dicemus?

D. ℞. Ad abſterrendos Pœnitentes à relapſu.

D. D. Sed magis abſterruiſſet Deus, ſi 21
ſe quoque eis non parcere ſignificaſſet, quod tamen adeo non fecit, ut omnibus, & lapſis, & relapſis, modo ſtare in poſterum conſtituant, veniam promiſerit, quod hîc inculcat Auguſtinus, & pluries alibi, eos redarguens qui dicebant, eâ veniam concedendi facilitate foveri peccata. Rurſus quæro abs te, an ad abſterrendos homines ab homicidio, & adulterio,

rio, & à periculo damnationis poſſit Eccleſia hanc legem ferre, ne homicidæ, adulterique, quique pœnitentiam ad mortem differunt, abſolvantur unquam. Reſponde. Affirmas? ergo contradicis Julio, & Cæleſtino Pontificibus hanc legem vocantibus impietatem, & crudelitatem. Non poteſt igitur. Ergo non potuit ad abſterrendos homines à relapſu eam legem condere, ne unquam abſolverentur. Demum ex aliis locis S. Doctoris id ipſum clariſſimè confirmo. Non ſemel S. Doctor volens explicare illud Math. 12: *Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro*, & quærens, an ſit aliquod peccatum, quod in Eccleſia non remittatur, nullum eſſe dicit, cumque aliqua peccata enumerer, quæ videri poſſent non remitti, aut quæ ab aliquibus dicebantur non remitti, nunquam ſibi objicit hunc Eccleſiæ morem non remittendi peccata relapſorum poſt Pœnitentiam, quod maxime objiciendum, aut excipiendum fuiſſet, ſi vere Eccleſia ea non remittere conſueviſſet. Quod idem advertere licet in aliis locis innumeris, in quibus aut Eccleſiæ benignitatem defendit ab aliquibus accuſatam, aut hortatur ad pœniten-

nitentiam, monens nullum eſſe peccatum quod non remittatur, nullo aut excepto genere delicti, aut genere vel conditione delinquentis. Lege ſerm. 11. de verbis Domini. Serm. 181. de temp. in pſal. 101. ſuper ea verba. *Quoniam Cinerem tamquam panem manducavi, & potum meum cum fletu miſcebam.* Tract. de utilit. pœnit. verſus finem & lib. de pœnit. medic.

D. R. Non eſt, cur defatiger. Quis neſcit à Deo remitti quodvis peccatum, & quemcumque relapſum? Hoc docet S. Doctor, non autem remitti ab Eccleſia. 22

D. D. Sic Auguſtinum interpretatur, qui Auguſtinum non legit. Is enim dum agit de Pœnitentia, agit de Sacramento confeſſionis, aut ipſum ſupponit, & rurſus dum docet à Deo remitti quævis peccata, ſubintelligit per Eccleſiæ miniſtros: Non enim putavit eam veram eſſe Pœnitentiam, quæ non ducit ad confeſſionem. Id oſtendo. Serm. 181. de temp. latè hortatur ad pœnitentiam, confeſſionis non meminit, ſed verbis quæ ſubſequuntur, oſtendit, eam ſe ſubintellexiſſe; monet enim perire fructum pœnitentiæ, ſi quis poſt confeſſionem in eadem crimina relaba-

labatur. *Vides* (inquit) *quanta ſit virtus Pœnitentiæ? Vides quantum meriti converſio reparavit. Corrumpitur autem pœnitentia ſi eiſdem quis, pro quibus Confitetur, rurſus involvatur malis.* Audis Confeſſionem, de qua in Superioribus non videbatur agere. In lib. de pœnitentię medicina oſtendit modum, quo quis veram concipere pœnitentiam debet. *Aſcendat itaque homo adverſus ſe tribunal mentis ſuæ..., Conſtituat ſe ante faciem ſuam... atque ita conſtituto in corde judicio, adſit accuſatrix cogitatio teſtis conſcientia, carnifex timor, inde quidam ſanguis animi confitentis per lacrymas profluat, poſtremo ab ipſa mente talis ſententia proferatur, ut ſe indignum homo judicet participatione Corporis, & Sanguinis Domini.... Et cum ipſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ, ſed tamen medicinæ ſententiam, veniat ad Antiſtetes* (vides uti non ſeparetur ab Auguſtini pœnitentia confeſſio) *veniat ad Antiſtites, per quos in Eccleſia Claves miniſtrantur, & tamquam bonus incipiens jam eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito, à Præpoſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum... ut ſi peccatum ejus non ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam in ſcandalo eſt aliorum, atque hoc expedire*

uti-

utilitati Eccleſiæ videatur Antiſtiti, *in notitia multorum*, *vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuſet*, *non reſiſtat &c.* Habes hic confeſſionem ſectetam factam Præpoſito Sacramentorum, ſeu Presbitero Pœnitentiario, pœnitentiam ſemipublicam expreſſam per ea verba *in notitia multorum &c.* & publicam ſeu ſolemnem expreſſam per ea verba, *vel etiam totius plebis &c.* non adnexas neceſſariò confeſſioni ſecretæ, ſed *ſi Antiſtiti videatur convenire*. Cumque Auguſtinus in vero pœnitẽte hunc recurſum ad Eccleſiam, ſeu Antiſtitem Sacramentorum requirat, jam id aut in re aut in voto ſubintelligendum ſemper eſt, quoties Auguſtinus agit de pœnrtentia, & de remiſſione peccatorum à Deo conceſſa Lapſis, Relapſiſque. Dum ergo Auguſtinus Macedonio reſcribit, Deum etiam relapſis poſt pœnitentiam ignoſcere, debet ſubintelligi relapſis confitentibus, aut confiteri volentibus, ut abſolvantur, ergo etiam hos Eccleſia vetus abſolvit.

Alterum profero locum notatu digniſſimum. Hæc antem congero non ſolum ut ſolvam argumentum tuum, ſed etiam ut oſtendam Novatoribus, Patres non tam rarò, ut 23

ipſi

ipſi autumant, agere de Confeſſione, ſed quoties agunt de Pœnitentia, quamvis id non exprimant plerumque. In lib. de Pœnit. medicina verſus finem erigit Auguſtinus peccatorem in ſpem Divinæ miſericordiæ. *Noli deſperare, clama etiam de profundo ad Dominum. De profundis clamavi ad te Domine . . . De tali profundo Ninivitæ clamaverunt, & hanc propitiationem invenerunt . . . Intuere David Regem . . . Non fruſtra tamen de tam immani, & abrupto profundo ſceleris pœnitens clamavit ad Dominum, dicens: Auerte faciem tuam à peccatis meis . . . Quid autem obtulit Domino unde illum propitiaret ſibi? . . . Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non ſpernit. Non ſolum ergo devote obtulit, ſed etiam iſta dicendo quid offerri oportebat oſtendit &c.* Nulla hic mentio veniæ petendæ ab Eccleſia, vel à Sacerdotibus, nulla mentio Sacramentorum, ſed ſolius contritionis, & Ninivitarum, & Davidis, nempe hominum qui à ſolo Deo veniam reportarunt, quos imitandos dicit; non videtur ergo requirere confeſſionem, & tamen eam ut uſurpandam à Pœnitente ſupponit. Cum enim pœnitens, quem alloquitur, videretur objicere,

re, incertum eſſe, quod Deus veniam tribuat, Reſpondet, incertum quoque eſſe quod Imperator ignoſcat, & tamen recuperandæ ejus gratiæ conatus omnis impenditur. Subdit poſtea. *Et tamen certiores ſunt claves Eccleſiæ*. Ad has ergo ſupponit eſſe recurrendum, nempe ad Confeſſionem, & per hanc Deum veniam tribuere. En verba S.Doctoris. *Sed fac incertum eſſe, utrum ignoſcat Deus. Quid perdit cum ſupplicat Deo, qui ſalutem perdere non dubitavit, cum offenderet Deum? Quis enim certus eſt, quod etiam Imperator ignoſcat? & tamen pecunia funditur, maria tranſmeantur, procellarum incerta ſubeuntur, & pene ut mors vitetur, mors ipſa ſuſcipitur: Supplicatur deinde per homines homini, ſine dubitatione fiunt iſta, cum ſit dubium quo fine proveniant, & tamen certiores ſunt claves Eccleſiæ* (audin?) *& tamen certiores ſunt claves Eccleſiæ, quam corda regia: quibus clavibus quodcumque in terra ſolvitur, etiam in Cælo ſolutum eſſe promittitur. Et multo eſt honeſtior humilitas, qua ſe quiſque humiliat Eccleſiæ Dei, & labor minor imponitur, & nullo temporalis mortis periculo mors æterna vitatur.* Ita Auguſtinus. Hanc humilitatem, qua ſe pœnitens humiliat Eccleſiæ Dei, ſeu Præpoſi-

to Sacramentorum, ſpectabat S. Doctor, dum dicebat, debere peccatorem offerre Deo cum Dauide cor humiliatum, & tamen, id non exprimebat. Licèt & ergo dū Macedonio reſcribens dicit etiam Relapſis à Deo ignoſci, non exprimat id fieri à Deo per Sacerdotem, cui ſe Relapſus humiliet, id tamen intelligi vult, cum preſertim alibi diſertiſſimè doceat, & fusè oſtendat debere etiam iis qui Relapſi ſunt remitti à Sacerdotibus peccata, atque hanc eſſe Eccleſiæ conſuetudinem.

D. R. Ecquis eſt iſte locus?

24 *D. D.* Eſt ſatis celebris in lib. de vera & falſa pœnit. cap. 4.

D. R. Nempe ejus libri, quem eſſe Auguſtini negant Trithemius, Lovanienſes, Bellarminus & alii.

D. D. Nempe ejus libri, quem eſſe Auguſtini affirmant viri alii eruditiſſimi, Bunderius, Navarrus, ac nouiſſimè Tullenſis Epiſcopus in libro de laudibus S. Andreæ Apoſtoli, in quorum ſententiam videtur inclinare Philippus Labbeus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Certè locus, quem afferre parabam, redolet doctrinam Auguſtini, quod ut perſuaſum habeas, ſcire debes, non ſemel

S. Do-

S. Doctorem inuehi in eos, quos Paganos vocat, aut Hæreticos, quibus non probabatur Chriſtiana benignitas, nulli vel maximo delicto veniam denegans. Vide cujus indolis aut fidei ſint Rigoriſtæ, aut ſaltem cujus fuerint tempore Divi Auguſtini. Aut Pagani erant, nempe Philoſophi de virtutibus ſubtiliter, ſed non fideliter diſputantes, vel Hæretici. Afferam textus. In pſal. 101. ſuper illud: *totà die exprobrabant mihi inimici mei*, ſic habet. *Hodieque Paganorum opprobrium quale in nos eſt? Quid putatis, fratres, quid eos putatis dicere nobis. Vos corrumpitis diſciplinam, moreſque generis humani pervertitis. Quid inveheris? Dic quamobrem? Quid fecimus? Dando, inquit, hominibus pænitentiæ locum promittendo impunitatem omnium delictorum. Ideo homines mala faciunt, ſecuri, quod eis, cum converſi fuerint, omnia dimittuntur... O qui inſultas... diſcute conſcientiam tuam, aſcende tribunal mentis tuæ, noli tibi parcere, ſi ſola fuit peccandi licentia, & nulla peccatorum eſt indulgentia, ubi eris? Quò ibis? Sed tamen, inquit, augent homines peccata ſpe veniæ, imo augerent peccata deſperatione veniæ. Nonne attendis quàm licentioſa crudelitate vivant gladiatores? Unde hoc, niſi*

jam tamquam ad ferrum, & victimam deſtinati explere volunt libidinem, antequam fundant Sanguinem? Nonne hoc & tu tibi diceres? Jam peccator ſum, jam iniquus, jam damnandus, nulla ſpes veniæ eſt ... Cur non impleam quantum poſſum quæcumque deſidero, ſi poſt hæc non reſtant niſi tormenta? Similia prorſus habet to.9. in tract. de utilit. pœnitentiæ cap. 3. *Solent Chriſtianis Pagani inſultare de Pœnitentià, quæ inſtituta eſt in Eccleſià: Et contra nonnullas hæreſes tenuit Eccleſia Catholica iſtam veritatem de pœnitentià agendà. Fuerunt enim qui dicerent quibuſdam peccatis non eſſe dandam Pœnitentiam, & excluſi ſunt de Eccleſia, & hæretici facti ſunt* (is eſt finis Rigoriſtarum). *In quibuſcumque peccatis non perdit viſcera pia mater Eccleſia: Ergo ſolent inde etiam Pagani, quaſi inſultare nobis, neſcientes quid loquantur ... Vos, inquiunt, facitis, ut peccent homines, cùm illis promittitis veniam ſi egerint pœnitentiam. Diſſolutio eſt iſta, non admonitio. In hanc ſententiam exagerant verba, quantà quiſque poteſt linguà vel ſananti, vel titubanti ... Tamen quomodo vincantur breviter accipiat charitas veſtra, quia Domini miſericordia totum optimè conſtituit in Eccleſià ſuà. Dicunt nos dare peccatis licentiam,*

quia

quia portum pœnitentiæ pollicemur. Si clauderetur aditus pœnitentiæ, nonne ille peccator tanto magis adderet peccata peccatis, quanto magis ſibi deſperaret ignoſci? Diceret enim ſibi: Ecce peccaui, *ecce ſcelus admiſi, jam mihi veniæ nullus eſt locus, pœnitentia infructuoſa eſt, damnatus ſum. Quare jam non vivo, ut volo?... Ergo ſi tuleris portum pœnitentiæ, deſperatione augebuntur peccata?* Hactenus Auguſt. Nunc vide, quàm bene concinat his duobus textibus textus ille, quem tu negas eſſe Auguſtini. *Sunt qui reclamant non eſse baptizatis remiſſionem peccatorum per pœnitentiam, dicentes &c. Adbuc inſtant perfidi, qui ſapiunt pluſquàm oporteat, non ſobrii, ſed excedentes menſuram. Dicunt enim, ut ſi ſemel peccantibus, poſt Baptiſmum valeat Pœnitentia, non tamen ſæpe peccantibus proderit iterata, alioquin remiſſio ad peccatum eſset incitatio. Dicunt enim quis non ſemper peccaret, ſi redire ſemper poſset? Dicunt enim Dominum incitatorem mali, ſi ſemper Pœnitentibus ſubveniret: & etiam ei placere peccata, quibus ſemper præſto eſt gratia. Errant autem, imò conſtat ei peccata multùm diſplicere, qui ſemper præſto eſt ea deſtruere... Sumunt occaſionem hypocritæ iſti ex factis Domini. Quem*

enim cæcum bis illuminavit, quem leproſum bis mundavit, quem mortuum bis ſuſcitavit? ..... In nullà perſonà iteravit factum, docens, ut ajunt, non ſemper à Domino fieri remedium .... Ideo non ſcribitur aliquis niſi ſemel ſanatus, ut timeat quiſque jungi peccato. Videmus adhuc quotidie in Eccleſia ſæpe febricitantes, ſæpe languidos, ſæpe paſſionibus captos, ſæpe liberari; ut appareat toties opus miſerantis quoties confeſſio fit Pœnitentis. Medicum ſe vocat, & non ſanis, ſed male habentibus opportunum. Sed qualis hic Medicus, qui malum iteratum neſciret curare? &c. Hæc S. Doctor, quibus, manifeſtè docet, ſanatos in Eccleſia fuiſſe etiam relapſos, ſanatos, inquam, non per humillimam, & ſolemnem pœnitentiam, ſed per pœnitentiam cordis, confeſſionem oris, & veniam eis à Sacerdote impertitam. Verùm ſi hunc haud eſſe Auguſtini tractatum evincere velis, evince, ſatis enim Auguſtini mentem ex allatis ſuperiùs certis ejus ſententiis elicui. Solum hìc addo ex eodem Bellarmino de Pœnit. lib. 3. cap. 9. negari non poſſe, quin hic de vera & falſa pœnitentia tractatus ſit alicujus antiqui, probatique Scriptoris, quem tanti fecit antiquitas, ut inde Gratianus, & Petrus Lombardus, homines

mines

mines in Patrum antiquorum ſcriptis adeo verſati multa teſtimonia, ille in decretum, hic in libros ſententiarum retulerit. Non abs re igitur textū illum produxi ad probandum, conſueviſſe veterem Eccleſiam veniam relapſis præbere, eoſque qui ſecus ſentirent, quamvis ſe fidei cuſtodes, ac diſciplinæ vindices crederent, habitos fuiſſe tamquam fidei hoſtes ac diſciplinæ everſores,

D. R. In horum numerum, ut puto, non referes Origenem & Ambroſium, quorum tamen ſententiæ, quas paulo ante produxi, relapſis non favent.

D. D. Nec favent, nec adverſantut. Nam ſolùm docent Pœnitentiam publicam pro gravioribus culpis ſemel tantùm fieri, leviorum autem pœnitentiam debere eſſe perpetuam, nomine autem levioris culpæ ſæpè intelligunt Patres culpam ſeu venialem, ſeu minùs gravem, alterutram autem quotidie incurrunt homines, & ideo perpetuam debere eſſe pœnitentiam, docent Patres. Quid inde colligis quod ad rem præſentem faciat? Non erat igitur cur ea duo loca afferres, quæ afferri ſolent ab hæreticis ad impugnandam auricularem confeſſionem perinde

Digitized by Google

ac ſi Veteres egerint de gravioribus pœnitentiam publicam, de reliquis ſolam pœnitentiam cordis: ſed rigidiorum Doctorum mos eſt aut ab hæreticis arma ſumere, aut ea hæreticis ſubminiſtrare, vel ut eruditi videantur, veteres Canones, qui ad rem, de qua agitur, non faciunt, recitare, qualis eſt ille Canon Concilii Toletani tertii, quo ſolùm renovantur Canones antiqui, quibus oſtendimus duo ſola fuiſſe ſtatuta, unum, ne relapſis poſt pœnitentiam publicam, iterum publica pęnitentia, & multò minùs quoties libuerit (ut aliqui Pęnitentiarii Toletani faciebant) concederetur; alterum, ut ſic relapſi damnentur, non quidem perpetuà privatione abſolutionis, ut perperam interpretaris, cum hanc privationem impiam & crudelem Pontifices appellent, ſed pęnà à Siricio ſtatutà. Nec diſſenties, ſi Concilii Toletani tertii tempus & Patres non ignoras. Sed forte utrumque excidit, experimentum capiam. Quo tempore celebratum fuit hoc Concilium? à quibus Patribus?

D. R. A Patribus Toletanis.

D. D. Erudita reſponſio! putabam eſſe celebratum à Patribus Epheſinis, hoc peto, qui

qui fuerint hi Patres Toletani, qui nempe Toletum ad hoc celebrandum Concilium convenere, & rurſus quo tempore convenerint?

D. R. Quid interrogas, cùm ipſe ſcias, & pene rumparis cupiditate docendi? Doceas, per me licet, nolo tibi hanc laudem præripere.

D. D. Quam brevius fuiſſet dicere, 26
ignoro. Celebratum fuit hoc Concilium duobus ſeculis poſt Siricium, nempe poſt illum Pontificem qui relapſos abſolvi juſſerat & rurſus celebratum fuit ab Epiſcopis totius Hiſpaniæ, inter quos fuit Stephanus Epiſcopus Eccleſiæ Tarraconenſis: hujus autem Eccleſiæ Epiſcopo eam Epiſtolam ſcripſerat Siricius. Igitur ex tempore, ex loco, & ex Patribus fit palam non ignotum ei Concilio fuiſſe decretum à Siricio miſſum Epiſcopo Tarraconenſi dè relapſis ſaltem in morte abſolvendis, dum ergo ſtatuunt eo Canone 11. ut circa Relapſos ſerventur Canones antiqui, jam volunt ſervari Canonem Siricii, cui parere tenebantur, eumque jure vocant Canonem antiquum, utpote non primò conditum à Siricio, ſed renovatum.

Qua-

27 Quare falſum eſt quod ultimo loco objiciebas, nempe à Siricio conditum fuiſſe jus novum, unde inferebas ante Siricium denegatam veniam fuiſſe Relapſis. Falſum, inquam, id eſt, cum id ipſum Nicęna Synodus & Julius I. ſanxiſſent. Nec ſanè ea novitas juris ex verbis Pontificis colligitur, ex reliquis autē ejus Epiſtolis colligitur oppoſitum, nempe ipſum abhorruiſſe quā maximè à novis Legibus condendis, quibus preſertim abrogarentur antiquæ. Initium enim Epiſtolæ tertiæ ejuſdem Pontificis ad univerſos Orthodoxos id eſt. *Cogitantibus nobis metum Divini judicii Fratres chariſſimi ... quid in querelam veniat tacere non licuit ... Et cui omnium Eccleſiarum cura eſt, ſi diſſimulem, audiam dicente Domino: Rejicitis mandatum Dei, ut traditiones veſtras ſtatuatis. Quid enim aliud eſt rejicere mandatum Dei quam privato judicio & humano conſilio novis rebus conſtituendis liberiùs delectari. Perlatum itaque eſt ad conſcientiam Apoſtolicæ Sedis contra Eccleſiaſticum Canonem præſumi, & quæ ita ſunt à Majoribus ordinata, ut ne vel levi ſuſurro debeant violari, proprias quoſdam obſervationes novas inducere, & prætermiſſo fundamento ſupra arenam velle conſtruere,*

re, dicente Domino, non tranſibis terminos quos conſtituerunt Patres tui. Quod & S. Apoſtolus ... monet ... State, inquit, 2. *Theſſ.*2. *& tenete traditiones veſtras, quas didiciſtis, ſive per verbum, ſive per Epiſtolam.* Hinc in ſequenti Epiſtolà ad Africæ Epiſcopos, *litteras tales dare placuit, non quæ nova præcepta aliqua imperent, ſed quibus ea, quæ per ignaviam, deſidiamque aliquorum neglecta ſunt, obſervare cupiamus, quæ tamen Apoſtolicà, & Patrumconſtitutione ſunt conſtituta. Scriptum eſt. State & tenete traditiones veſtras ſive per verbum, ſive per Epiſtolam.* Quære ſi potes alium Pontificem novitati Decretorum magis infenſum. Non igitur Siricii Decretum illud de venià, & communione Relapſis ſaltem in morte concedendà novum jus fuit, ſed veteris, & quidem Apoſtolici, quod fortè in Himerii Eccleſia non ſervabatur, confirmatio fuit,quo confirmatur mea ſententia, nempe nunquam in Eccleſia Romana, reliquis que Eccleſiis bene adminiſtratis fuiſſe iis, qui poſt ſolemnem Pœnitentiam relapſi eſſent, omnem prorſus veniam denegatam. Ex his intellige quam malam cauſam propugnes. Quidquid enim ad impugnandum me, protuliſti, meam in te dexteram

teram armavit,novumque mihi adjumentum prebuit ad victoriam. Accipe igitur amicum ſanumque conſilium, tuum depone rigorem, quo Pœnitentes abſterres, *horridus in jaculis, & pelle libyſtidis urſæ*, noſtramque indue benignitatem.

D. R. Laxitatem videlicet, qua Pœnitentes allicitis, & occiditis, ſolvitis, & ligatis, ut ſemper relabantur, & vobiſcum ad Inferos prolabantur.

28 *D. D.* Relapſos ſemper abſolvimus? En aliam graviſſimam Calumniam. Tuam fidem obteſtor. Audiſti ne unquam id à me vel ſolo nutu in hac concertatione ſignificatum? Repugnavi quidem tibi aliiſque rigidis Doctoribus aſſerentibus ab Eccleſia veteri nunquam fuiſſe abſolutos eos, qui poſt pœnitentiam iterum pœnitenda commiſiſſent, ut vos eo clypeo ſpoliarem, quo defenditis rigorem veſtrum, dum nimis facilè, nimiſque frequenter id genus hominum abſolvere recuſatis; non inde tamen docui debere eos ſemper abſolvi.

D. R. Quid ipſe doceas ignoro, ſcio hanc eſſe benigniſſimæ veſtræ Theologiæ doctrinam.

D. D.

D. D. Dic ergo à quo noſtrorum Theologorum id audieris, in quo eorum libro, aut ſcripto legeris, oſtende.

D. R. Satis communis fama proloquitur.

D. D. Nempe veſter in nos amor com- 29
miniſcitur. Gratulamur nobis ſortem Sanctiſſimi Præſulis Joannis Chryſoſtomi. Audi hiſtoriam antiquam, ſed quæ noſtro ævo perbellè congruit. In laudem Divinæ miſericordiæ effuſiſſimæ in omne genus hominum Pęnitentium, perſępe dicebat, & ſcribebat Chryſoſtomus, ut perditos homines facilè deſperantes ad ſpem veniæ, & pœnitentiam perduceret. *Talis mihi crede* (ità ſcripſit ad Theodorum lapſum ep.5.) *talis eſt erga homines pietas Dei, nunquam ſpernit pœnitentiam, ſi ei ſincerè & ſimpliciter offeratur. Etiamſi ad ſummum quis perveniat malorum, & indè tamen velit reverti ad virtutis viam, ſuſcipit libenter & amplectitur. Quodque eſt majoris humanitatis, & clementiæ argumentum, licèt quis non potuerit explere omnem ſatisfaciendi ordinem, breve tamen, & exiguo tempore actam non averſatur, aut negligit, ſed & hanc magnâ mercede compenſat. Non enim temporis quantitate, ſed*

ani-

animi diſpoſitione pœnitentia judicatur . Ninivitæ enim multis diebus non indiguerunt, ut illud peccatum deleretur. Tempus exiguum potuit univerſam eorum delere iniquitatem, & latro haud longo tempore ingreſſum Paradiſi impetravit &c. Similia habet in Homilià de S.Philogonio, & in homiliis ſupra ep. ad Hebr. ad ea verba c. 16. *Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hoſtia .* Cum ergo hæc à S. Antiſtite perpetuò inculcari ſcirent, audirentque ejus inimici, & humaniſſimè ab eo excipi viderent id genus hominum perditorum, quod animo ſuſpicati fuere,tamquam certum evulgarunt, à Chryſoſtomo nefarios quoſque, & pluries in eadem crimina relapſos ſemper abſolvi. Is enim fuit ſextus articulus ejus accuſationis, ut refert Baron. ad an. 403. *Nempe quod aditum aperiret peccantibus dicens. Si iterum pecces, iterum pœnitentiam facito, & quoties peccaveris accede ad me, & ego te curabo.* Calumniam perſimilem, & ex eadem cauſa fabricaſtis contra nos rigidi quotquot eſtis Inſtitutores, nec fortè diſſimiles iis,qui Chryſoſtomum inſectabantur. Cum enim Divinam Clementiam à nobis efferri audia-

tis,

tis, invitari perbenignè quoſlibet ad pœnitentiam, excipi, curarique, illoſque redargui, qui eis confitentibus veniam facilè pernegant, aut differunt, jam creditis tamquam certum & indubitatum à nobis abſolvi quoſlibet, permitti quælibet, & porcis proiici Margaritas. Hinc Epiſtolæ plenæ calumniis miſſæque per provinciam ad amicos innominatos, hinc ſatyræ crudelibus jocis refertæ, & per primarias utriuſque orbis Accademias diſſeminatæ, hinc illæ per totam hanc Urbem ſtillantes felle quærimoniæ, *decipi genus humanum, pœnitentes ligari, non abſolvi; non expiari Sacramentis, ſed ſacrilegiis impiari*. Fallimini cenſores loquaciſſimi, quodque pejus eſt, fallitis alios, qui (ut ſunt homines plerique) quod audiunt male fieri ab aliis, ſtatim credunt, & laxitatem magiſtrorum carpunt, quamvis quærant ipſi laxiſſimos, de quorum numero, crede mihi, non ſumus. Miſericordiam ſacrificio præoptamus, excipimus omnes, audimus omnes, ſed omnes non abſolvimus, idque ſolum inter nos & vos diſcrimen eſt, quod nos, Pœnitentes ex pravis habitibus, & longà conſuetudine ad vitia inclinatos, aut relapſos, ſi veri dent ſigna

gna

gna doloris & propoſiti, abſolvimus pleroſque, ſed antea bene monitos, & contrà inſultus Dęmonum armatos, vos autem reiicitis pleroſque, aut etiam omnes, & poſt menſes, aut annos, redire jubetis.

D. R. Omnes reiici nego.

30 *D. D.* Quid ipſe facias ignoro, nec experiri volo. Quid veſtri Inſtitutores faciendum doceant ſcio, ſciuntque omnes qui eorum ſcripta typis edita legunt. Differri omnino & ſemper debere prædictis pęnitentibus abſolutionem, vel apertè docent, vel docere ſe, ſatis ſignificant Gummarus Huighenius Apol. pag. 68. & in ſua Meth. pag. 71. Neeſen pag. 388. Avermans in ſuo Tyroc. par. 1. num. 178. Gabrielis in ſua Moral. pag. 129. Et quidem ex pręcitatis ſcriptoribus primus ſic iſtum ſuum rigorem adamat, ut velit abſolutionem differri debere etiam ſponſo, qui ipſo mane nuptiis deſtinato, abuſum ſe diù ſuâ ſponsâ confitetur, quamvis ſe intimè dolere affirmet, quamvis in id criminis relabi amplius nec velit nec poſſit, jam matrimonio reddente licitum quod antea ei erat illicitum, quamvis demum dilatâ abſolutione, differendæ ſint etiam nuptiæ, cum admiratione

tione omnium pejora ſuſpicantium. *Non eſt quod hęreas* (ſic ille Parochum ad hanc abſolutionis dilationem obfirmat) *quidquid obloquiorum, quidquid turbarum, quidquid incomodi conſequatur*. Quàm autem longa ſit veſtra iſthæc abſolutionis dilatio coniici poteſt ex fine, differtis enim, ut interea Pęnitens pravos habitus deponat, & bonos induat, *Idcirco* (inquit cit. Huighenius in Apol. pag. 68.) *adhibenda eſt dilatio*, *ut pœnitens eà durante, mediis à confeſſario, tamquam medico ſpirituali præſcriptis utatur, ut vitia contrariis virtutum actibus intereà expellat, ut pravis ſuis inclinationibus medeatur*, cum autem id opus ſit ad minus plurium menſium, jam plures menſes manebit ex veſtra inſtitutione inabſolutus quicunque pravam peccandi conſuetudinem contraxit.

Ut autem aperto veſtrorum librorum teſtimonio probavi; à vobis abſolutionem, eamque ſatis diù prædictis omnibus Pęnitentibus differri, ita noſtrorum Scriptorum calculo probabo à nobis haudquaquam omnes abſolvi. *Interdum* (inquit Layman lib. 5: tract. 6. cap. 4. num. 10.) *vehemens eſt ſuſpicio, & juſta præſumptio propoſitum ſimulatum,* 31

aut non ſufficiens eſſe: Si videlicet pœnitens poſt duas aut tres confeſſiones eamdem peccati ſpeciem, eodem vel majore numero afferat, & nullus emendationis conatus anteceſſiſſe videatur. Hoc caſu differenda erit abſolutio, nominato aliquo temporis ſpatio, intra quod pœnitens cōnatum adhibeat ad criminis emendationem. Idem docent Leſſius verbo *Confeſſarius* caſu 7. Trullench tom. 1. lib. 2. cap. 1. dub. 20. n. 10. Azor. part. 1. l. 11. c. 3. q. 4., & cum reliquis omnibus Tamburinus, qui cap. 3. l. 3. meth. Confeſſ. hæc habet. *Differtur aliquando abſolutio propter occaſiones proximas non amotas; nonnumquam propter frequentem relapſum; tertiò propter aliquod Pœnitentis emolumentum*.

D. R. Interdum, aliquando, nonnunquam; Quam proximè iſta accedunt ad illud *nunquam* quod dicebam.

D. D. Jam video hòc vobis diſplicere, quod nos non ita ſæpe, nec ita diù veniam etiam relapſis differamus. Id igitur modò ex ipſa inſtitutione Sacramenti, & regulis Patrum diſcutiendum erit, utrum vos ſemper, aut fere ſemper veniam differendo, nos rarò eam differendo, erremus. Ut autem clarè, ac diſtinctè rem totam velut à ſuis princi-

piis

piis evolvam, teque ipſum ad meam ſententiam, veluti certam ac tutiſſimam ſuaviter traham.

Præmoneo primò, credi omnino debere, 32
hoc Sacramentum non eſſe ſic inſtitutum à Chriſto Domino, ut difficillimè adminiſtretur. Primò quia eſt Sacramentum lapſis poſt Baptiſmum, adeoque fere omnibus adultis neceſſarium ad ſalutem: media autem neceſſaria non debent eſſe paratu difficillima, & ideo Baptiſmus, qui eſt Sacramentum omnibus neceſſarium ad ſalutem, facilè adminiſtratur. Secundò, quia Eccleſia Sanctique omnes hortantur ad frequentem ejus uſum, ergo ſupponunt eſſe ſic inſtitutum, ut non adminiſtretur difficillimè; Sic enim frequenter ſuſcipi non poſſet. Admittis hoc?

D. ℞. Admitto.

D. D. Bene eſt. Præmoneo 2. rejiciendam omnino eſſe eam adminiſtrandæ pœnitentiæ praxim, ex qua ſequeretur, quod hoc Sacramentum evaderet maximè onerosum ejus miniſtris, vel ſuſceptoribus, & magis quam ferat ipſa neceſſitas Sacramenti, licet hujuſmodi praxis removeret non paucos à peccato; quia videlicet removeret etiam à Sa- 33

cramento, & hæc eſt ratio, propterquam S.Leo epiſt. 78. ſuſtulit eum abuſum, qui in aliquibus provinciis inoleverat, exigendi à Pœnitentibus, ut permitterent ſua peccata publice recitari! *Removeatur*, inquit, *tam improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſua facta referare*. Admittis hoc?

D. R. Admitto.

34. *D. D.* Bene eſt. Præmoneo 3. Ad hoc Sacramentum requiri præciſe ex parte Pœnitentis actum doloris, propoſiti, & Confeſſionis. Actum inquam, non habitum ſeu longam perſeverantiam in his actibus: nam Trident. ſeſſione 14. ſolos actus requirit, & hæc eſt totius Eccleſiæ doctrina. Igitur non requiritur quod Pœnitens per aliquot hebdomadas vel menſes, antequam abſolvatur, perſtet in tali dolore & propoſito lugens peccata ſua. Si id faciet, optimè faciet, non tamen damnandus erit ſi non faciat. Admittis hoc?

D. R. Admitto.

35 *D. D.* Gratulor tibi docilitatem tuam. Præmoneo 4. Satis eſſe quod Confeſſarius

volens

volens abſolvere habeat judicium prudens de diſpoſitione Pœnitentis, nempe de prædictis actibus doloris & propoſiti. *Priuſquam Miniſter abſolvat* (inquit Suar. tom. 4. in 3. par. diſp. 32. ſect. 2. *neceſſe eſt, ut prudenter, & probabiliter judicet, Pœnitentem eſſe diſpoſitum.* Neceſſe eſt, & ſufficit, agit enim de neceſſario ſufficienti.

D. R. Suarium non agnoſcimus, nec alios ſſujuſmodi ſcholaſticos Theologos de moribus ſubtiliter ex ingenio ſuo, non autem ex Majorum auctoritate diſputantes.

D. D. Suarium non agnoſcitis, alioſque hujuſmodi Scholaſticos Theologos? Et ideo tam ſæpe à recto rationis, & veritatis tramite aberratis. Si ſcires qnantum tibi hominem nominavi (ſcires autem ſi legiſſes) puderet te inſcitiæ tuæ, & rigidiorum Doctorum Libellos, Epiſtolas, ac Tractatus, quos noctu dieque verſas, abjiceres. Sed illud intolerabilius, quod omnes Theologos deſpicitis.

D. R. Noviores videlicet. 36

D. D. Ergo antiquos non deſpicitis? At ea Suarii doctrina antiquorum eſt, quos ſequens Catechiſmus Romanus ſic habet parte 2. num. 51. *Quod ſi auditâ confeſſione judi-*

caverit Confeſſarius, neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in deteſtandis dolorem Pænitenti defuiſſe, abſolvi poterit: ſi judicaverit, inquit, non autem *ſi judicaverit indubitanter, & poſt experimentum aliquot hebdomadarum, vel menſium*. Sed clarius D.Carolus. Recuſabis ne tantum Paſtorem ſequi?

D. R. Abſit.

37 *D. D.* Is in Inſtructione Paſtorali ſic pænitentiarios ſuos Sacerdotes monet. *Si probabiliter ſibi Confeſſarius perſuadeat poſſe ſe fidem primæ, vel ſecundæ à Pœnitente ſibi promiſſioni factæ dare, quod ſcilicet occaſionem auferet, poterit eum promiſſionis intuitu abſolvere*. Audiſti? *Si probabiliter ſibi Confeſſarius perſuadeat*. Quæris rationem? Ea eſt inſtitutio Chriſti Domini, quæ colligitur ex prædicto communi ſenſu Theologorum, & quia ſi requireretur judicium pluſquam probabile, eſſet nimis difficilis, & ſubjecta innumeris anguſtiis, & ſcrupulis adminiſtratio, & ſuſceptio hujus Sacramenti, qualem non debere eſſe conceſſiſti.

38 Præmoneo 5.quod fuſiùs probabo diſp.10. par. 2. Confeſſarium ſufficienter habere tale judicium probabile, dum pænitens aut exercitè

citè ipſo modo confitendi, aut ſignatè dicit ſe habere talem dolorem, & propoſitum, niſi ſit præſumptio contra ipſum. Hinc Doctores (inter quos S.Th. in 4. diſt. 17. quæſt. 3. quæſtiunc. 5. ad 2.) docent, in Foro conſcientiæ credendum reo pro ſe, & contra ſe. Scio aliquos veſtrum reſpondere, hoc dictum ſic eſſe exponendum, ut reo credatur pro ſe dum dicit ſe hæc, & non alia peccata commiſiſſe, non autem dum dicit ſe eſſe rite diſpoſitum, quia in hoc facilè poteſt decipi. Sed hæc reſponſio eſt omnino vana: primò, quia in re tanti momenti debuiſſent Doctores hoc modo limitare ſuam propoſitionem, quæ alioquin daret anſam errori: ut ſi quis diceret: *Audita in Confeſſione poſſunt revelari*, ſubintelligendo *cum licentiâ Pœnitentis*; Doctores autem hoc modo nec ſignatè, nec exercitè eam limitant. Secundo. Sicuti poteſt quis decipi in judicando de ſuà diſpoſitione, ita poteſt decipi in judicando de contractibus; de obligatione reſtituendi, de Simonia, aliiſque innumeris, imo multò magis circa hæc, quàm circa illud, cum facillimè quilibet intelligat, an verè deteſtetur peccata commiſſa, & velit ea non amplius committere, ergo ſi, quia poteſt deci-

pi circa hoc,non eſt ei credendum, dum dicit, ſe eſſe diſpoſitum, à fortiori non eſſet ei credendum, dum dicit, ſe non comiſiſſe alia peccata, adeoque ſe non comiſiſſe c. g. peccatum Simoniæ, peccatum injuſtitiæ circa contractus, aliaque hujuſmodi, quæ omnia includuntur in ea propoſitione *non habeo alia peccata*. Tertiò. Vera ratio, propter quam in foro conſcientiæ creditur reo etiam pro ſe, non ſic in foro judiciali eſt ea, quod illud eſt forum voluntarium, non hoc. Supponitur autem, quod qui ſponte ſiſtit ſe Judici, ut ab eo abſolvatur, nolit illum decipere, & quod diligenter ſe inſpexerit, ne ſe decipiat. Hæc autem ratio tam probat eſſe credendum reo pro ſe,dum dicit,ſe non habere alia peccata, ac dum dicit, ſe eſſe vere diſpoſitum.

Igitur ea propoſitio D.Thomæ debet intelligi ut ſonat, utque eam intellexerunt, & docuerunt poſt D.Th. ejus diſcipuli Turrecremata cap. *quem pœnitet de pœnit. diſt.* 1. *num.* 18. Fumus in Armilla verbo *Abſolutio* num.30. Tabiena ibidem quæſt. 24. num.45. & reliqui, quos ſequitur Filiuccius, Suarez, Dicaſtillus, Henriquez, aliique, inter quos Suarez tom.4. in 3. par. diſp. 32. ſect. 2. *Con-*

feſſor,

feſſor, inquit, *quando non habet ſufficientia ſigna doloris, poteſt, & debet interrogare Pœnitentem, an ex animo deteſtetur peccatum, cui affirmanti credere tenetur; & hoc idem dicendum eſt de propoſito in futurum, quando ex confeſſione non oritur ſpecialis obligatio reſtituendi, vel relinquendi aliquam occaſionem proximam.* Et in hoc ipſo caſu ſi pœnitens dicat, ſe habere propoſitum ſatisfaciendi obligationi ſuæ, e. g. reſtituendi, poteſt ſubinde ei credere. Dicaſtillus ſimiliter diſp. 10. de pœnit. dub. 29. num. 571. *Pœnitenti*, inquit, *affirmanti ſe habere retractationem & propoſitum non peccandi, credendum eſt*. Admittis hoc?

D. R. Admitto, ſi ut affirmas, hæc eſt Doctoris Angelici, & communis aliorum doctrina.

D. D. Pergo igitur reliqua præmonere. 39
Dixi paulo ante, eſſe credendum Pœnitenti, niſi ſit præſumptio in contrarium, quæ ejus atteſtationem elidat; Nunc præmoneo 6. non debere præſumi, quod pœnitens affirmans, ſe eſſe diſpoſitum dicat falſum, ex eo præcisè, quod eſt relapſus; eſt enim indubitatum, non impediri à relapſu verum dolorem, & propoſitum, imò eo magis confundimur, & ma-

gis

gis movemur ad deteſtandam propriam infirmitatem, & inconſtantiam.

Verum quidem eſt, quod, ſi qui eſt relapſus non adhibuit poſt ultimam confeſſionem ullum conatum ne relaberetur, non eſt judicandus habuiſſe in ea ultima confeſſione, & conſequenter nec habere nunc verum dolorem, & propoſitum, nam, ut inquit Card. de Lugo de pœnit. diſp. 14. num. 160. *Qui efficaciter proponit, & ſeriò rem aliquam, quam aliundè moraliter implere poteſt, non ita facilè obliviſcitur ſtatim ſui propoſiti, ſed ſaltem per aliquod tempus perſeverat, & difficiliùs vel rariùs cadit*. Is tamen poteſt nunc dare ſpecialia ſigna doloris, itaut mereatur ei credi ſaltem ſemel aut bis poſt relapſum, ut colligitur ex precitata Inſtructione D. Caroli. Si verò qui eſt relapſus ſaltem ſeriò conatus eſt non relabi, jam oſtendit ſe habuiſſe verum dolorem & propoſitum, cujus effectus fuit ille conatus. Quare ceſſat jam præſumptio contra ipſum, debetque ei credi.

D. R. Videntur certa.

40 *D. D.* Præmoneo 7. Non eſt neceſſe, quod Confeſſarius ſibi perſuadeat, penitentem non eſſe relapſurum, ut communiter

tra-

Digitized by Google

tradunt Doctores;tum quia nulla ratio id ſuadet, tum quia vix poteſt unquam id ſibi prudenter perſuadere Confeſſarius, imò nunquam, cum pęnitens habet ſola peccata venialia negligentiæ, iracundiæ, & ſimilia.

Præmoneo 8. Dilationem abſolutionis 41
nec eſſe medium certò faciens abſtinere à peccato, nec eſſe medium ad id neceſſarium. Primum patet, nam multi, quamvis ipſis differatur abſolutio, adhuc relabuntur in peccatum. Alterum ſimiliter patet, quia ſunt alia multa media, quæ conferunt ad emendationem, inter quæ eſt ipſa abſolutio, & Sacramentum, quod conferens gratiam, & auxilia multa actualia jam pęnitenti auget vires, quibus ſe contineat à relapſu. Igitur utrumque eſt medium conferens ad emendationem, & dilatio abſolutionis, & abſolutio. Dilatio abſolutionis, quatenus facit, ut Pęnitens magis apprehendat gravitatem ſuarum culparum, & concipiat majorem dolorem, firmius propoſitum; abſolutio verò quatenus confert gratiam, & jus ad prædicta auxilia, quibus armatur contra relapſum. Neutrum eſt remedium ſe ſolo trahens emendationem: neutrum eſt remedium hic & nunc neceſſarium

rium ad emendationem, utrumque poteſt conferre ad emendationem, cum hoc diſcrimine, quod abſolutio impertita diſpoſitis ſemper confert ad emendationem, quia ſemper dat gratiam, & prædicta auxilia, & conſervat pęnitentem bene affectum erga Sacramenta, nec affert illi ullum damnum, è contra abſolutio negata vel dilata, licèt aliquibus ſit efficacius remedium, quàm conceſſa, multis tamen eſt ingenti damno, nempe iis, qui fortè habent ſolam attritionem, quamvis conentur elicerè contritionem; jam enim nullum opus eorum, quæ faciunt eo tempore intermedio donec abſolvantur, eſt ſatisfactorium, & meritorium de condigno, & ipſi manent in perpetuo periculo eternæ damnationis, cum poſſint toto eo tempore improviſam, & repentinam mortem incurrere. Quàm grave malum hoc eſt? Nec illud minus, quod plerique ſic rejecti, vel dimiſſi amorem Sacramèntorum, ſuæque ſalutis veluti deſperantes
42 amittunt. *Experientia docet* (inquit Leander à Murcia in diſquiſ. lib. 2. diſp. 1. reſolut. 14. num. 3. pag. 158.) *quod differre abſolutionem non eſt remedium, ſed potius medium, quo in deſperationem ruant, vèl quo odioſa reddatur eis*

con-

confeſſio. Hanc experientiam, quam ego habeo, multi graves viri, qui confeſſionibus audiendis frequenter vacant, ſimiliter habuiſſe retulerunt. Bene ait, ſic experiri eos, qui confeſſionibus audiendis, frequenter vacant, nam qui iis audiendis non vacant, nec experiuntur, nec miſerentur, nec ſatis callent quæ ſint animarum morbis curandis aptiora remedia, ut qui Medicinæ longùm ſtudioſus corpora curavit nunquam, hic ſatis ſcire nunquam poteſt, quæ ſit optima curandi ratio, nec ſatis percipiet unquam, nullum eſſe depellendis morbis aptius remedium, Medici amore, & patientiâ. Eſt igitur certum, hoc remedium differendi abſolutionem, vel eo utaris ut Judex ad cognoſcendam diſpoſitionem Pœnitentis, ne temere ſententiam feras, vel eo utaris ut Medicus ad ejus emendationem, quem ſcis eſſe diſpoſitum, eſſe remedium pleriſque inutile, aut etiam noxium, omnibus periculoſum, ergo cum iis, qui prudenter judicantur diſpoſiti, vix unquam erit adhibendum, ut emendentur, nempe tunc ſolùm cum libenter acceptatur, ac tanta prævidetur utilitas, ut prævaleat omnibus damnis, & periculis, quæ ſecum affert, quem caſum eſſe rariſſimum, ex-

per-

pertiſſimorum, doctorumque Medicorum teſtimonio, & ratione ipsà, ſatis oſtendi. Admittis hoc?

D. R. Admitto. Nec ego unquam Auctor ſim, ut hoc modo curentur ordinariè ii, qui diſpoſiti ſunt, & poſſunt abſolvi. Sed indiſpoſiti, qua alià ratione curentur?

43 *D. D.* Dicam. Igitur præmoneo 9. Qui ſponte accedunt ad Confeſſionem, & eo fine ut vere reconcilientur cum Deo, ſi non appareant ſatis diſpoſiti, poſſunt facile ab ipſo Confeſſario ſtatim diſponi. Hoc probatur manifeſtà experientià, & ratione hoc modo. Eſt certum quod longè faciliùs hi concipiunt efficacem dolorem, & propoſitum, quam qui audiunt Concionatorem, cum hi plerumque non accedant ad concionem, ut reconcilientur cum Deo, & abſolvantur à ſuis peccatis, ſed aut ex curioſitate, aut ut piè ſe occupent, atqui experimur etiam, hos facile concuti, & concipere efficacem dolorem, & propoſitum, cum Concionator aptè proponit, quæ ad pœnitentiam excitant, ergo à fortiori facilè concutientur illi, & concipient efficacem dolorem & propoſitum, ſi eadem ipſis proponantur à Confeſſario. Nec facit quod confeſſarius nequeat

queat longam concionem habere: nam prædicta, quæ excitant ad pœnitentiam, petita vel ex Divinâ bonitate, quæ tandiu toleravit eum, quem potuiſſet in infernum detrudere, vel ex incertitudine mortis, ac Divinâ juſtitiâ gehennam præparante obſtinatis peccatoribus, magis ſubinde commovent animum paucis, ſed multum ſignificantibus verbis peramanter propoſita, quam longâ concione deſcripta.

D. R. Commovent quidem, ſed motu 44
breviſſimo, ut experimur in his ipſis, quos in exemplum attuliſti, feruidæ concionis Auditoribus, qui lacrimantur quidem facilè, iique facilius qui gravioribus peccatis onerati, majorem habent lugendi cauſam, ſed abſolutâ concione areſcunt lacrimæ, concepta abeunt vota, & veteres redeunt amores.

D. D. Id in univerſum dici nequit, cum non pauci conſtanter emendentur, vel non tam ſæpe relabantur, donec tandem ne labuntur quidem unquam. Adde quod alia eſt ratio confitentium, alia audientium Concionem, tum quia confeſſione, nempe actu perhumili, maximeque arduo facilee xoratur Deus, moveturque ad confirmandum in recto propoſi-

to

Digitized by Google

to Pœnitentem, tum quia poſt confeſſionem ſequitur Abſolutio, & Sacramentum, cujus virtute magis roboratur Pœnitens, non autem ſequitur poſt concionem. Licet ergo Auditorum lacrimæ facilè areſcant, non ita facilé areſcunt lacrimæ Pœnitentium. Sed areſcant, non perſeveret dolor, & propoſitum; Quid inde? An Chriſtus Dominus voluit eſſe partem Sacramenti eum ſolum dolorem, & propoſitum, quod perſeveret, an preciſè dolorem & propoſitum? Primum dici nequit, ut oſtendi paulo ante, & patet ex innumeris exemplis etiam Scripturæ, quibus conſtat Deum ignoſcere, & in gratiam reſtituere etiam eos, quos prævidet inconſtantes fore. Si ergo Deus propoſitum perſeverans optavit quidèm, eique ſoli gloriam, & vitam eternam concedit, gratiam verò, etiam non perſeveranti concedit, cur nos ſoli perſeveranti per hebdomadam, vel menſem, & longo fletu expoſcenti veniam concedemus? Si Deus hanc legem condidit ut cuicumque verè dolenti, & confitenti venia detur, quo jure nos Divina munera corrumpimus, & hanc contrariam legem ſtatuimus, ne cuicumque verè dolenti venia detur, ſed solùm dolenti per aliquot hebdo-

hebdomadas, vel menſes, ſuumque dolorem, & propoſitum piis operibus confirmanti? Igitur is verus dolor, & propoſitum, quod Pœnitens excitatus brevibus, ſed penetrantibus verbis Confeſſarii, quà monentis, quà increpantis, quà ipſam abſolutionis dilationem minantis, concipere ſe oſtendit, ſatis eſt ad Sacramentum, adeoque is pœnitens eſt jam habendus tamquam diſpoſitus. Admittis hoc?

D. R. Admitto quidem, ſi oſtendit ve- 45
rum dolorem.

D. D. Nempe, ſi ſe commotum oſtendit, nec frigidè dicit, ſe velle novam vitam inſtituere. Hæc enim ſigna ſunt, ex quibus prudenter judicatur quis vere dolere, & proponere, & dari ſolent ab iis quos Confeſſarius fortiter, & ſuaviter increpat. Igitur is, qui antea habebatur ut indiſpoſitus, vel propter vitam nihil emendatam poſt ultimam confeſſionem, vel ex alio capite, jam monitus, & increpitus à Confeſſario, ac ſe dolere ſignificans, eſt habendus pro diſpoſito, ergo eſt ſtatim abſolvendus, regulariter loquendo, ut ajunt. Id negare non potes; nam paulò ante conceſſiſti, dilationem abſolutionis eſſe reme-

Digitized by Google

dium adeo anceps, & periculoſum, ut perrarò ſit adhibendum.

46 Præmoneo 10. Confeſſarium, cum deprehendit Pœnitentem indiſpoſitum ex. gr. acceſſiſſe imparatum, & animo indiſcuſſo, vel perſeverantem in occaſione proximà, vel nihil emendatum, nihilque conatum, ut ſe corrigeret, debere plerumque, ſaltem ex charitate ipſum diſponere, cum id ex dictis poſſit facilè fieri, & ex alià parte dilatio abſolutionis ſit plerumque adeo Pœnitenti damnoſa. Certè optimè faciet ipſum diſponens, & abſolvens, nam diſponendo facit abſque dubio actum charitatis, abſolvendo autem ſic diſpoſitum, & volentẽ ſtatim abſolvi, facit plerumque actum juſtitiæ. Id abſque dubio admittes.

D. R. Et quomodo non admittam, quod ex antecedentibus apertè colligitur?

47 *D. D.* Præmoneo tandem, frequentiùs quidem in adminiſtratione hujus Sacramenti ex nimià benignitate, quàm ex nimio rigore peccari, majus tamen eſſe peccatum nimium rigorem, quam nimiam benignitatem. Frequentiùs quidem peccatur nimià benignitate, quia longè plures ſunt ii Confeſſarii, qui oſcitanter audiunt Confeſſiones, qui videlicet

nec

nec ſatis explorant ſtatum Pœnitentis interrogando,nec ſatis ipſum emendare curant,aut diſponere monendo, increpandoque, quàm ſint ii Confeſſarii, qui nimis interogant, aut nimis increpant, aut nimis ſeverè judicant dè ſtatu, & obligatione Pœnitentis. Is tamen rigoris exceſſus eſt malum longè majus, quia exaſperat Pœnitentem,& ex diſpoſito ſubinde facit indiſpoſitum. Rurſus removet Pœnitentem à Sacramentis, facit eum averſum ab Eccleſiæ miniſtris, & ab ipſa Chriſtianà Religione, & in deſperationem facilè inducit: quare Joannes Damaſcenus apud Petrum Bleſenſem de pœnit. & ſatisfact. quin omnes Patres ſatis communiter monent, *tutius eſſe rationem reddere de miſericordià, quàm de ſeveritate juſtitiæ*. Id abſque dubio concedes? Jam verò ventum eſt ad id, quò te ducere deſtinaveram. Ex iis enim, quæ hactenus præmonui, eruitur manifeſtè, non proficiſci ex virtute, quod Pœnitentibus Relapſis, & ſponte ad confeſſionem accedentibus, (de his enim loquor,) differatur abſolutio, nam ii plerumque ſaltem conati ſunt non relabi, ſunt igitur cenſendi plerumque bene diſpoſiti: ergo cum dilatio abſolutionis ſit ex dictis remedium ple-

rumque adeo anceps, imò adeò damnoſum, jam charitas,& juſtitia poſtulat plerumque,ut ſtatim abſolvantur, ſi preſertim nolint expectare. Si verò ſint indiſpoſiti, cum ex dictis facilè diſponi poſſint, jam charitas aut obligat, aut ſuadet,ut diſponantur. Si ergo non diſponantur, & rejiciantur, jam rejiciuntur aut ex defectu charitatis neceſſariæ, aut ex defectu ferventioris charitatis, ſi verò plerumque abſolvantur ſtatim, id fit juxta regulas juſtitiæ, aut charitatis: ergo prædicta praxis differendi plerumque abſolutionem relapſis non oritur ex virtute, ſed aut ex injuſtitià, aut ex charitatis debitæ defectu, aut ex charitate remiſsà, & è contra praxis contraria eſt conformis regulis juſtitiæ, aut charitatis. Ergo ex iis, quæ hactenus, & per gradus conceſſiſti, concedere debes veſtri rigoris praxim laudabilem non eſſe, eſſe autem laudabilem praxim noſtræ benignitatis.

48 *D.* ℞. Id quidem ego concedere nolebam, ſed paulatim præjactis propoſitionibus effeciſti, ut negare non poſſim. Aſſentior igitur, dummodo, quod ultimo loco monuiſti, de iis Relapſis ſermo ſit, qui ſponte ad Confeſſionem accedunt.

D. D.

D. D. De his me locutum, iterum aſſero, nam alia eſt ratio eorum, qui accedere compelluntur, ut ſunt qui confitentur ſolum in Paſchate, quique in Collegiis, & Scholis ad confeſſionem iis ſolis diebus accedunt, quibus accedere ex lege tenentur. Cum iis enim (dicam ingenuè quod ſentio, non enim cuiquam adulari volo, & quamvis Doctor benignus ſim, cum tamen tempus, & ratio poſtulat, obrigeſco) cum iis, inquam, ſeveriùs agendum eſt. Perſæpe enim nec diſpoſiti accedunt, nec poſſunt facilè diſponi. Primum contingit, quia non ſolent accedere eo animo, ut cum Deo reconcilientur, utque aliã poſtea vivendi rationem inſtituant, ut accedunt ii, de quibus anteà agebamus. Alterum verò quia adhortationibus, & increpationibus, quibus occalluere, non admodùm commoventur. Utramque hanc regulam benignam cum ſponte confitentibus, rigidiuſculam cum aliis confiteri compulſis proponit Layman lib. 5. tract. 6. cap. 4. num. 10. & 11. probantque reliqui noſtræ ſcholæ Doctores.

D. R. Probo etiam ego ſic temperatam, & ſequar. Nec ſemper veniam Relapſis dabo, nec ſemper negabo.

D. D. Id ſatis non eſt,nec id faciendum paulò ante ex meis propoſitionibus colligebas.

D. R. Quid ergo faciam ?

D. D. Accipe . Quicumque ad te venerint Pœnitentes, aut venià dignos credas, aut facias, aut facere contendas. Breviùs .

Rejicias nunquam. Audi ſemper. Solve frequenter.

CA-

Digitized by Google

CALUMNIA SESTA.

Pœnitentibus injungebat olim Eccleſia publicam occultorum quoque criminum confeſſionem .

DISPUTATIO VI.

Doct. Diſcr. CErtum eſt, publicam etiam occultorum criminum cōfeſſionem poſſe laudabiliter fieri, eamque feciſſe non paucos *in vindictam ſuorum ſcelerum*, *& ſui humiliationem*, ut loquitur Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. Inter hos celeberrimus fuit, eritque in perpetuum Potamius Epiſcopus Bracarenſis, qui, ut refert Card. Baron. ad ann. 656. in Concilio Tolet. 10. ne- 1

mine accuſante, ſeipſum prodidit, & cum lacrymis confeſſus eſt occultum, quod commiſerat, carnis peccatum, & ſponte Epiſcopatu ſe abdicans pœnam ſubjit, quam Canones ejus culpæ reis imponebant.

2 Quod in controverſiam vocatur, illud eſt, an vetus Eccleſia impoſuerit unquam Pœnitentibus onus publicè confitendi ſua occulta delicta. Nec deſunt qui hanc etiam calumniam contra veteris Eccleſiæ diſciplinam ſtruant.

Doct. Rig. Nimirum calumnia vocatur, quod fuit ingens veteris Eccleſiæ præconium. Quid enim magis pietatem antiquorum Fidelium commendat, quàm, quòd non dubitaverint in ſuorum criminum deteſtationem, graviſſimam pœnam ſubire, eaque coram univerſo populo confiteri, quæ nos unius Sacerdotis auribus inſuſurrare formidamus?

D. D. Laudabile procul dubio id fuerit; non verò quòd Eccleſia ad id faciendum obligaverit. Id ego factum fuiſſe, nego.

3 *D. R.* Nempe, quod homines eruditiſſimi affirmant, Ruardus Tappetus art. 5. ubi de facto Nectarii, Lindanus Panopliæ lib. 4. cap. 69. Alanus Copus Dialogo 2. cap. 27. Pamelius

melius in adnotationibus ad tract. S.Cypr. de Lapſis, & initio adnotat. ad lib. Tertulliani de Pœnit. aliique, quodque manifeſtè colligitur ex Patribus antiquioribus (nam ſublatum poſt quintum aut ſextum ſeculum hunc morem fatemur) ubique teſtantibus laudabilem iſtam conſuetudinem, quæ tunc vigebat publicè confitendi graviora peccata, quamvis clanculum commiſſa. Conſuetudo autem faciendi rem adeo difficilem, ut eſt prædicta confeſſio, ſine præcepto induci, aut conſervari minimè potuiſſet.

D. D. Sed iſtam communem conſuetudinem in veterum Scriptorum monumentis non reperio. Reperio quidem à pluribus id factum; ſed plurium factum non eſt omnium conſuetudo; alioquin, quia reperimus, multos obtuliſſe ſe Tyrannis, alios multos ſua omnia bona in eleemoſynas erogaſſe, alios in ſylvis vitam aſperrimam traduxiſſe, id ex generali conſuetudine, aut ex lege, & præcepto factum, dicemus.

D. R. In Socratis hiſtoriâ utrumque 4
habes & factum, & conſuetudioem. Refert enim lib. 5. cap. 19. (ut bene noſti) Matronam quandam à Presbytero Pœnitentiario, apud

quem

quem totius vitæ peccata confeſſa fuerat, compulſam fuiſſe eadem publicè confiteri, eamque ſic parviſſe, ut occultum etiam Diaconi cum ipsâ patratum ſacrilegium prodiderit, unde Diaconus in pœnam à ſuo loco dejectus fuit, & Populus in ſacros Eccleſiæ Miniſtros ita commotus, ut ei placando, Nectarius Epiſcopus Presbyterum Pœnitentiarium amoverit, ejuſque munus penitus abrogaverit. Addit autem Sozomenus, idem factum narrans lib.7. cap.16. exemplum Nectarii reliquos ferè omnes Epiſcopos ſequutos eſſe. Id certè ſatis quod dicebam oſtendit; non enim mulier nobilis, honeſtæque famæ, eam confeſſionem facere juſſa eſſet, nec ipſa feciſſet, niſi fieri conſueviſſet, fuiſſetque omnino neceſſaria ad obtinendam veniam peccatorum. Id etiam colligo ex eo, quod Socrates decretum Nectarii improbans aſſerit, nempe id malum ex eo manaſſe, quòd poſtea non potuerint ampliùs redargui praua aliorum opera, nec malorum hominum commercium vitari, utpote qui, ſublatâ eâ occultorum criminum confeſſione, non amplius dignoſcebantur, ergo Pœnitentes ſua etiam occulta crimina prodere cogebantur. Quis autem ne-

get,

get, hanc fuiſſe communem totius Eccleſiæ conſuetudinem, cum non ſolùm Conſtantinopoli, ubi factum mulieris contigit, ſed in reliquis omnibus Orientis Eccleſiis viguerit, quarum Epiſcopi, factum Nectarii imitati dicuntur, cumque non ignoremus, eaſdem in utraque Eccleſiâ Orientali, & Occidentali ſolemnis Pœnitentiæ leges fuiſſe?

Sed, ut ut in aliquibus diſcreparint, in 5
hoc certè nullum diſcrimen fuit, ut ex Patribus Latinis colligitur. Et primò Tertull. de Pœnit. cap. 10. & 11. invehitur in eos, qui Pœnitentiam omittebant, ex pudore confitendi peccata ſua, qui pudor, inquit, eſſet veniâ dignus, ſi confeſſio eſſet facienda coram inimicis *inſultaturis*, *in reſiloquio*, *ubi de alterius ruinâ alter attollitur*, *ubi proſtrato ſuperſcenditur*, non ſic autem, cum facienda ſit *inter fratres*, *atque conſervos*, *ubi communis ſpes*, *metus*, *gaudium*, *dolor*, *paſſio*. Igitur jubebantur Fideles publicè confiteri etiam ea, quæ pudori erant, nempe occulta, pudor enim eſt in confeſſione occultorum, nõ autem eorum, quæ publica ſunt. Quòd autem juberentur, & non ſolo conſilio impellerentur, patet, quia non redarguerentur, qui talem confeſſionem

omit.

omittunt: non enim redarguitur, quod malum non eſt, mala autem non eſt omiſſio rei non præceptæ.

6 Eundem pudorem retrahentem à publicâ confeſſione reprehendit S.Pacianus in pareneſi, & S.Ambroſ. lib. 2. de Pœnit. cap. 10. & in pſal. 37. Igitur is mos cogendi Pœnitentes ad publicam atrocium criminum, quamvis occultorum confeſſionem non fuit ſolius Eccleſiæ Orientalis, ſed etiam Occidentalis, diuque perſeveravit in aliquibus Provinciis, nam etiam tempore S.Leonis Papæ perſeverabat in Campaniâ, Samnio, & Piceno, ut patet ex ejus epiſtolâ 78. ad harum Provinciarum Epiſcopos ſcriptâ: non enim eſt probabile, tunc omnes illos Epiſcopos conveniſſe in eâ lege ſtatuendâ. Crediderim potius, conſtantiores eos fuiſſe in eâ retinendâ, ſeu potius rigidiores in eâ ampliandâ, cogendo videlicet Pœnitentes ad publicanda omnia ſua occulta delicta, adeoque etiam ea, in quæ leges animadvertebant pœnâ capitis, quod ſolùm ſuſtulit Leo, ut Morinus lib. 2. cap. 10: bene colligit ex ultimis his hujus Leonini decreti verbis. *Removeatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remedio arcean-*

ceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſua facta reſerare, quibus poſſunt legum conſtitutione percelli.

Demum negari non poteſt, potuiſſe 7
hanc legem condi ab Eccleſiâ ad abſterrendos
Fideles ab atrocibus delictis quamvis occultis, ut ad removendos Fideles à patrandis
publicè, & cum ſcandalo eiſdem delictis, potuit eos ad eorum publicam confeſſionem
obligare. Probabile autem eſt, conditam de
facto fuiſſe hanc legem eo tempore, quo aliæ
multæ hujuſmodi leges, & fortè etiam ſeveriores, ſtatutæ fuere, ad Pœnitentium verum
propoſitum, & conſtantiam explorandam,
exercendamque. Certè publica pro occultis
criminibus Pœnitentia parum, aut nihil differt à publicâ occultorũ criminum cõfeſſione;
ſed illa fuit in Universâ Eccleſiâ lege ſancita,
ergo, cùm aliunde tot indiciis,argumentiſque
id colligatur,dicendum eſt,hoc etiam fuiſſe ab
Eccleſiâ veteri lege ſancitum, aut ab eâdem
fuiſſe ſaltem permiſſum, ut Confeſſarii poſſent ad hujuſmodi confeſſionem Pœnitentes
cogere,quam permiſſionem clarè innuit S.Ba- 8
ſilius in Ep. ad Amphilochium eo can. 34.
Adulterio pollutas mulieres,& confitentes ob pietatem,

tatem, *vel quomodocumque convictas*, *publicare quidem Patres noſtri prohibuerunt*; *ne convictis*, *mortis cauſam præbeamus*. Igitur ex Baſilio, vetitum à Majoribus fuit Confeſſario publicare adulteria occulta mulierum, nempe imponere mulieribus adulteris, ut publicè confiterentur ſua adulteria, ne à maritis occiderentur, ergo non erat prohibitum Confeſſariis præcipere Pœnitentibus confeſſionem publicam reliquorum delictorum, ex quorum manifeſtatione non ſequeretur illud malum, ſed erat eis permiſſum, ut hanc confeſſionem præciperent: nam *exceptio* (ut dici ſolet) *firmat regulam in contrarium*.

D. D. Eloquenter quidem, & appoſitè ad decipiendum: ſic enim pervertis quę collegiſti ex Veterum monumentis, ut videaris velle imponere, & fucum facere, ut eodem ordine, quo ea attuliſti, oſtendam.

9 Incipiam igitur ab eâ tam in felici, & celebri Matronæ Coſtantinopolitanæ Confeſſione. Id factum narraturus Sozomenus cap. 16. lib. 7. dicit, Præsbyterum Pœnitentiarium, qui confeſſiones exciperet, ab Epiſcopis fuiſſe conſtitutum in ſuis Eccleſiis, electumque ad id munus virum *integritate vitæ*

maximè

maximè ſpectabilem , & ſecretorum tenacem ; quia nimis odioſum viſum fuit , quòd Pœnitentes , ſua delicta , tanquam in theatro , audiente Eccleſiæ multitudine pronunciarent . Ergo non obligarunt ad id Pœnitentes. Quomodo enim obligarunt ad id , quod cognoverunt eſſe odioſum , & nimis grave ?

D. R. Non obligarunt quidem ad omnia, ſed ad aliqua magis atrocia , judicio Presbyteri Pœnitentiarii , cui debebant omnia prius manifeſtari .

D. D. Id aſſeri nullo modo poteſt; nam 10
ſi odioſa viſa fuit publica confeſſio; abſque dubio viſa fuit maximè odioſa confeſſio delictorum atrocium occultorum : & rurſus , ſi Sacerdos in Pœnitentiarium eligebatur,qui eſſet ſecreti tenax , ne proderet occulta , à fortiori requirebatur , ne proderet occulta quæ eſſent atrocia : ergo ſi confeſſionem publicam non præceperunt, utpote odioſam , certè non præceperunt confeſſionem publicam atrocium delictorum, quæ eſt maximè odioſa ; nec permiſerunt Presbytero Pœnitentiario , ut eam injungeret . Et verè non injungebatur ut idem Socrates ſignificat, dum refert, eam mulierem prodidiſſe peccatum commiſſum cum Dia-

Diacono, quia *longiùs conſitendo progreſſa eſt*, quia videlicet confeſſa eſt plura, quàm debebat, quàmque ei fuerat præceptum, aut permiſſum.

D. R. At cur adeo progreſſa eſt, ſi juſſa non fuit?

11 *D. D.* Facti fœminei rationem petis? rem difficilem poſtulaſti. Quis enim, niſi divinando, dicere poſſit, quid fœminas moveat ad hoc, aut illud agendum? fortè illam movit imprudens quidam feruor: fortè etiam exemplum aliorum: non enim negamus, aliquos id feciſſe, ut à Potamio factum fuiſſe narravimus; ſed communem ſic faciendi conſuetudinem ſeu legem negamus. Quia verò ille ipſe uſus aliquorum, ſponte publicandi occulta ſua delicta, juxta conſilium Presbyteri Pœnitentiarii, erat periculoſus; & quia idem Pœnitentiarius in eâ Pœnitentium directione facilè errabat, eis permittens publicare quæ publicanda non eſſent; ideo Nectarius illum uſum ſuſtulit, & cum eo munus ipſum Presbyteri Pœnitentiarii, totamque illam fortaſſe ſolemnis Pœnitentiæ cęremoniam; quibus ſublatis non id mali contigit, quod ipſe dicebas, malè explicans ea ultima verba So-

cra-

cratis, ſed illud aliud, quod Pœnitentes non ſunt amplius publicè in Templo redarguti, ut in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ fieri ſolebat.

At cur ſolemnem Pœnitentiam facere 12
tam multos pudebat (ut dicunt Tertulianus, Pacianus, & Ambroſius) ſi non jubebantur Pœnitentes confiteri ſua occulta delicta? Miror, hæc objici, cùm talia eſſent in ſolemni Pœnitentiâ quæ pudorem facerent præſertim hominibus Criminoſis, quos ſubinde bene agere, præſertim publicè, pudet. Igitur multi aut etiam omnes, rubore ſuffundebantur, dum coram omnibus, incompti, cinere conſperſi, & humili ſacco induti apparebant, dum ſe pedibus cujuſque, ut pro ſe orarent, advolvebant: dum in Templi angulo conſiſtere per menſes aut annos jubebantur, dum ad initium Sacrificii toto Templo cum Catechumenis expellebantur, dum tandem ſua delicta quamvis publica confitebantur, eâque confeſſione publicabant illa magis, ſuaſque ignominias refricabant. Hæc ſatis à publicâ Pœnitentiâ retrahebant homines, ut ſunt plerique, parum amantes ſalutis ſuæ, qui proinde à Sanctis illis Patribus juſtiſſimè reprehenduntur.

13 Sum autem maximè admiratus, potuiſſe te, afferre in confirmationem ſententiæ tuæ Epiſtolam S. Leonis ad illarum trium Provinciarum Epiſcopos ſcriptam, cum ea ſit validiſſimum telum, quod vibrari ſolet contra ſententiam tuam, ut mox conſtabit, cum Epiſtolam recitabo. Ex iis etiam, quæ dicam, palam fiet, nec potuiſſe Eccleſiam ad id onus publicæ confeſſionis cogere Pœnitentem, quamvis potuerint ab eàdem ſeveriſſimæ aliæ leges ſanciri. Per has enim, ut alibi probabitur, punire conſuevit Eccleſia graviora,eaque publica delicta, nempe aliunde cognita quàm per Pœnitentium confeſſionem, non igitur earum ſeveritate removebantur Fideles à confeſſione, ut abſque dubio eveniſſet, ſi occulta ſua ſcelera Confitentibus onus illud recitandi ea publicè ſubeundum fuiſſet; ejus enim timore, confeſſio ſecreta, unde publica ſequeretur, fuiſſet omiſſa.

14 Demum non obſtat Canon Baſilii, tum quia Canones illi ad Amphilochium miſſi, pertinent potius ad externam Eccleſiæ diſciplinam, tum quia, quamvis dicantur pertinere ad regimen interni fori, Canon à te allatus nihil adverſatur ſententiæ meæ. Prohibebantur

bantur ſiquidem Confeſſarii,ex veteri Patrum ſententiâ, ut ibi dicitur, publicare mulierum occultas impudicitias, non quia cætera publicare poſſent, ſed ut ab hac publicatione maximè caverent. Sic prohibemur tam ſæpe in Scripturis aliquid injuſtum agere contra Viduas,& Pupillos; non quia injuſtè agere cum aliis liceat, ſed ut maximè caveamus ab eâ injuſtitiâ, quæ committitur contra Viduas, & Pupillos, utpote quæ gravior eſt, & deterior. Hæc eſt prima ejus legis ratio. Ex eâ enim publicatione multò majora mala oriebantur, quàm ex publicatione aliorum; quare, non abs re, eâ præſertim, & ſpeciali lege vetatur. Altera ratio ea eſt, quòd quamvis prudentes Confeſſarii non ſolerent ad publicam occultorum confeſſionem, aut ad publicam propter ea pœnitentiam cogere Pœnitentes, non rarò tamen eam ſuadebant, ad majorem delicti expiationem: aliquando etiam (id onus non detrectantibus Pœnitentibus) præcipiebant ſaltem publicam pœnitentiam; hoc ipſum autem, cum prædictis fœminis facere, vetitum fuit, ne Confeſſarius ſuo vel conſilio, vel præcepto, quamvis ſponte acceptato, eas in vitæ diſcrimen impelleret.

Verùm, ut invalida prorſus ſunt argumenta, quibus tuam ſententiam probare conatus es; ita validiſſima ſunt ea, quæ afferam, ut ſuadeam ſententiam meam, videlicet; nunquam univerſam, aut Romanam Eccleſiam id jugum publicè confitendi occulta delicta impoſuiſſe Fidelibus, aut approbaſſe, quòd imponeretur.

16 Et primò id probo ex inſtitutione hujus Sacramenti. Sic enim Chriſtus Dominus illud inſtituit, ut noluerit ea onera imponi Pœnitentibus, quæ non eſſent ejus adminiſtrationi neceſſaria, & eſſent nimis gravia, quæ proinde facilè Pœnitentes removiſſent ab ejus etiam neceſſariâ receptione. Et hæc eſt ratio, cur non poſſit Eccleſia obligare Fideles volentes confiteri & percipere Sacramentum, ut permittant Confeſſario revelare cui voluerit peccata ſua: Onus autem publicè confitendi occulta peccata eſt abſque dubio onus graviſſimum, adeoque pleroſque removens à perceptione hujus Sacramenti. Ergo Eccleſia Univerſalis aut Romana, quæ errare nequit, id nunquam fecit, nec ut fieret, approbavit.

17 Secundò idprobo, & ſimul confirmo allatum argumentum, eo decreto Sancti Leonis pri-

primi, cujus antea meminiſti: hujus autem decreti, quæ fuerit occaſio, exponendum priùs eſt. In Campania, Samnio, & Piceno quidam Confeſſarii rigidiores, & (ut ſibi videbantur, & ſuis Epiſcopis) zelo Religionis, aut diſciplinæ flagrantes id onus imponebant Pœnitentibus, ut ſua omnia peccata deſcripta in libello deferrent Confeſſario, eaque publicè recitari permitterent, ſic enim fore putabant, ut Fideles ad amorem pœnitentiæ horum exemplo accenderentur, & ut ipſi Pœnitentes, reliquique omnes, ne tantum onus ſubire çogerentur, à peccando magis abſtinerent. Sed aliter viſum Sancto Leoni, qui vero ardebat amore diſciplinæ, nempe eo, qui eſt ſecundum ſcientiam, & cupit exonerare, non onera imponere, Sacramenta reddere facilia, non odioſa, ſpem ſalutis facere, non augere deſperationem. Igitur in hunc modum earum provinciarum Epiſcopis ſcripſit. *Illam* 18
etiam contra Apoſtolicam regulam præſumptionem, quam nuper agnovimus à quibuſdam illicitâ uſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoveri (de Pœnitentiâ videlicet, quæ ita à Fidelibus poſtulatur) ne de ſingulorum peccatorum genere, libellis ſcripta profeſſio publicè reci-

tetur, cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari confeſſione ſecretā. Quamvis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem, apud homines erubeſcere non veretur; tamen quia non omnium ſunt peccata, ut ea, quæ pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſua facta reſerare, quibus poſſunt legum conſtitutione percelli: ſufficit enim illa confeſſio, quæ primùm Deo offertur, tunc etiam Sacerdoti; qui pro delictis Pœnitentium precator accedit: tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, ſi Populi auribus non publicetur conſcientia confitentis.

19 Multa ſunt in hoc decreto quæ faciunt ad rem præſentem. Et primò dicit à ſe nuper cognitam eam præſumptionem, quamvis illæ Provinciæ parum à Romà diſtarent, erat igitur mos de novo inductus, non autem à Majoribus acceptus, ut ipſe dicebas. Secundò dicit, quoſdam, nempe paucos, non autem omnes earum Regionum Epiſcopos, ut pariter ipſe dicebas, auſos fuiſſe novum illud onus imponere Pœnitentibus. Tertiò hanc novam admi-

adminiſtrandæ Pœnitentiæ praxim contrariam regulæ Apoſtolicæ appellat, nempe contrariam regulis Fidei, & inſtitutioni Sacramenti, nobis ab Apoſtolis traditæ; id enim ibi ſonat *Regula Apoſtolica*. Igitur hæc praxis obligandi Fideles ad publicam occultorum criminum manifeſtationem, eſt illicita, ergo nunquam fuit ab Universâ Eccleſiâ aut ab Eccleſiâ Romanâ uſurpata, aut approbata. Quartò damnat abſolutè eam praxim imponendæ pœnitentiæ, & confeſſionis publicæ occultorum delictorum, non autem damnat ſolum uſum exigendi manifeſtationem earum culparum, quæ legibus humanis plectebantur, ut male arbitratur Morinus lib. 2. cap. 10. Quamvis enim Leo dicat, ex hoc etiam capite debere rejici eam novam conſuetudinem, eo quòd multi committunt peccata, propter quæ *poſſunt legum conſtitutione percelli*, quæque proinde publicari noluht, tamen abſolutè docet, eſſe contra Apoſtolicam regulam, exigere culparum manifeſtationem publicam, *& ſufficere confeſſionem ſecretam*, nempe confeſſionem factam ſoli Sacerdoti, quod eſſet falſum, ſi poſſet exigi publica aliqua confeſſio ſcelerum occultorum.

Adde quòd in illis ultimis verbis dum *aut erubeſcunt*, *aut metuunt &c.* diſtinguit duo hominum genera, nempe eorum, qui *erubeſcunt* confiteri,& eorum,qui *metuunt* confiteri, propter pœnas legibus humanis ſtatutas, & ex utroque capite docet, rejici debere eam conſuetudinem,quæ multos aut *erubeſcentes*, aut *metuentes* arceret à Sacramento. Quibus oſtendit, quod dicebam, nempe ita inſtituiſſe Chriſtum Dominum hoc Sacramentum, ut noluerit ipſum reddi ſic odioſum & ita oneroſum,ut Fideles ab eo arceantur, ut certè obligatione publicæ confeſſionis ab eo Fideles arcerentur. Demum notandum eſt, quàm ſignificanter improbet eam novam conſuetudinem obligandi Fideles ad eam confeſſionem; eam enim vocat *contrariam regulæ Apoſtolicæ*, *præſumptionem*, *illicitam uſurpationem*, *modis omnibus ſubmovendam*, *tam improbabilem conſuetudinem*. Quis autem credat, id unquam factum ab Eccleſiâ veteri fuiſſe, quod à Sancto Leone Veteris Eccleſiæ Doctore, adeo vituperatur?

20 Tertiò Concilium Tridentinum ſeſſ.24. cap. 5. docet quod *non ſatis conſultè humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta præſertim*

ſecre-

Digitized by Google

ſecreta, publicâ eſſent confeſſione aperienda. Atqui Eccleſia nunquam fecit, quòd inconſultè, & imprudenter fit, ergo eam legem nunquam fecit.

Quartò tandem id probo ex eo, quòd communis Theologorum opinio ea eſt, non poſſe Eccleſiam hanc legem condere, nec poſſe id præcipi à Confeſſario. Ex multis Doctoribus id aſſerentibus ſatis ſit audire Suarium, qui tom. 4. in 3. par. diſp. 21. de Pœnit. ſect. 2. num. 6. ſic habet. *Ex quo infero primò, non poſſe confeſſionem publicam per humanam legem generatim præcipi .... Et ratio eſt primò, quia res eſt difficillima, & alioquin non neceſſaria, nec per ſe valde utilis: Lex autem humana non poteſt res adeo difficiles poſtulare, niſi fortè ex communi aliquâ, & vrgenti neceſſitate &c. Infero ſecundò, non poſſe Confeſſorem cogere Pœnitentem ad manifeſtanda illi peccata alio modo magis publico, quàm per auricularem confeſſionem .... probatur à fortiori ex dictis, quia præceptum Confeſſoris humanum eſt: item quia Confeſſor tenetur ex jure Divino ad ſigillum confeſſionis; illud autem apertè eſſet contra ſigillum, ſicut etiam contra illud ageret Confeſſor, ſi Pœnitentem cogeret, ut ei daret facultatem revelandi confeſſio-* 21

feſſionem, Atqui Eccleſia nunquam fecit, aut probavit fieri ab aliis, quod non poteſt licitè fieri, ergo nec ipſa, ſuâ lege impoſuit unquam id onus, nec unquam probavit, ipſum imponi à Confeſſariis.

D. R. Valida profectò videntur hæc argumenta: neceſſe tamen eſt, fallaciam aliquam ſubeſſe. Si enim quid probant, non ſolum evincunt, non conſueviſſe unquam Eccleſiam præcipere publicam occultorum ſcelerum confeſſionem, ſed neque publicam conſueviſſe unquam imponere pro delictis latentibus pœnitentiam, quâ videretur occultum revelari peccatum. Id autem eſt evidenter falſum, cum innumeris veterum Teſtimoniis probetur, injunctam promiſcuè fuiſſe pro majoribus delictis, vel nota eſſent, vel ignota & occulta, publicam pœnitentiam, vel inde ſequeretur, revelari crimen occultum, vel non ſequeretur. Hujus enim damni nullam rationem habuit Antiquitas.

D. D. Et hæc eſt altera calumnia, qua Veteris Eccleſiæ diſciplinam infamatis. Sit igitur.

CA-

CALUMNIA VII.

Publica pro delictis etiam occultis Pœnitentia ſubeunda fuit ex veteris Eccleſiæ diſciplinâ.

DISPUTATIO VII.

Doct. Diſcr. Miraris, id etiam a nobis inter calumnias recenſeri ?

Doct. Rig. Miror certè, haberi 1
loco calumniæ veritatem adeo exploratam, ut nullus unquam auſus fuerit eam vocare in controverſiam. Licèt enim aliquot hujuſmodi antiquitatum Scriptores publicam occultorum ſcelerum confeſſionem à veteri Eccleſiâ *præceptam fuiſſe*, non auſi fuerint aſſerere, ſaltem clarè

rè, & rotundè, hinc tibi aliter ſentienti non admodum repugnavi; omnes tamen clariſſimè, ac diſertiſſimè aſſerunt, tanquam certum, & indubitatum, ab eâ impoſitam fuiſſe publicam occultorum criminum Pœnitentiam. Loquor autem de Eccleſiâ priorum ſex, aut ſeptem ſeculorum. Præter illos, quos initio præteritæ concertationis produxi, ſcilicet Tapperum, Lindanum, alioſque non ita recentes, adeo certum id eſſe putat Gabriel Albaſpinaeus, Aurelian. Epiſc. in fine Obſervationis 5. lib. 2. ut oppoſitum putet omnino improbabile. *Nec probare quis poſſet* (inquit) *propter unius fornicationis crimen, ſive publicum, ſive privatum, aliam fuiſſe, quàm publicam indictam pœnitentiam*. Fusè idem probat Gaſpar Ivenin in Comment. hiſtor. dogmat. de Sacram. tom. 2. diſſert. 6. quæſt. 6. cap. 7. art. 1. Fuſiſſimè autem Morinus de Pœnit. lib. 5. cap. 8. uſque ad cap. 15.

2 Sed horum auctoritas fortaſsè non ſatis te movet: illi certè permovere te debent, quos tanquam prima Cęli Eccleſiaſtici luminaria venerariſ, nempe Petavius, Card. Bellarminus, Suarius, idem prorſus, quod Auctores antea laudati aſſerentes. Primus enim, nem-

nempe Petavius in Animadverſionibus ad S.Epiphanium ad hęreſim 59. pag.248.ſic habet. *Quod autem arcanis ſceleribus publica inflicta Pœnitentia ſit, fidem faciunt antiquiſſimi Canones*. Card. autem Bellarminus lib. 3. de Pœnit. cap. 14. diſputans de facto Nectarii negat quidem juſſos fuiſſe Pœnitentes publicam facere confeſſionem, publicam autem pœnitentiam, & privatam eis promiſcuè impoſitam pro culpis ſecretò expoſitis affirmat per hæc verba. *Conſueverunt quidem aliqui juxta conſilium Sacerdotis, cui peccata omnia confeſſi fuerant, aliqua graviora, & publica publicè confiteri, tamen ad id non tenebantur, ſed ſatis erat peccata omnia privatim confiteri, & pœnitentiam privatam, vel publicam juxta Sacerdotis imperium agere*. Suarius demum tom. 4. in 3. part. diſp. 49. ſect. 2. num. 4. loquens de pœnitentiis canonicis ſic docet. *Eę pœnitentiæ non ſolùm imponebantur pro delictis publicis, & ſcandaloſis, pro quibus imponi ſolent exteriores, & publicæ pœnæ, ſed etiam pro occultis criminibus: imò non ſolùm pro externis, ſed etiam pro merè internis, quæ ſolâ cogitatione, & affectione committuntur, quæ omnia conſtant ex antiquis Canonibus, quæ leguntur*

apud

apud Burchardum lib. 19. *ſui decreti*, *& apud Baſilium*, *Gregorium Nyſſenum*, *& alios*, *qui hos Canones pœnitentiales collegerunt*. Tantum ne ſcelus admittes, ut Suarium deferas?

3 *D. D.* Suarium certè cum reliquis deſererem, ſi certa ratio id facere ſuaderet; non enim nos, ut vos facere conſueviſtis, ita ſequimur Doctorem aliquem, ut ipſum Conciliis, aut Pontificiis definitionibus præferamus. Hìc autem, Doctores quos attuliſti, deſerere non eſt opus; ſic enim temperabo ſententiam meam, ut vera ipſa ſit, nec falſa ſint ea, quæ Scriptores docent, quos paulo ante laudàſti, quamvis dicantur agere de pœnitentiis interni fori, non vero externi, quod negare facilè poſſem. Imò ut hos Doctores ſequar, cogor dicere, nunquam ab Eccleſiâ universâ, vel Romanâ, id onus faciendi pro delictis occultis publicam pœnitentiam, fuiſſe

4 Pœnitentibus impoſitum. Eſt enim communis Theologorum, adeoquè ipſius Cardinalis Bellarmini, & Suarii ſententia, non poſſe pro latentibus culpis imponi pœnitentias manifeſtas, & quidem Card. Bellarm. lib. 1. de Pœnit. cap. 21. *Publica peccata*, inquit, *ad pœnitentiam publicam*, *occulta ad privatam pertinent*.

nent. Neque enim licet peccatum occultum publicare, aut etiam pro occulto pœnitentiam ita publicam imponere, ut ex eâ peccatum ipſum detegatur. Suarius verò eo tom. 4. in 3. par. diſp. 38. ſect. 6. num. 3. *Communis opinio eſt, propter peccata occulta, non debere imponi pœnitentias publicas; quia ſunt improportionatæ, & contra bonam famam Pœnitentis.*

D. R. Ergo Cardinalis Bellarminus, & Suarius docent, non poſſe licitè fieri, quod iidem ipſi docent factum ab Eccleſiâ fuiſſe, adeoque jam docent, Eccleſiam erraſſe?

D. D. Minimè verò. Docent quidem, 5
ut audiſti, id fieri non debere, nec poſſe licitè fieri, factum verò id ipſum ab Eccleſiâ fuiſſe, nunquam docent. Et quidem Cardinalis Bellarminus verbis quæ produxiſti, docet, *ſatis fuiſſe agere pœnitentiam vel privatam, vel publicam juxta Sacerdotis imperium*, nempe privatam pro culpis occultis, publicam pro publicis, ſi publicam fieri Sacerdos juſſiſſet, non autem docet, imponi conſueviſſe publicam pro occultis, aut id fuiſſe arbitrarium Sacerdoti: Suarius verò non negat, pœnitentias canonicas, etiam pro internis, & occultis *fuiſſe taxatas*, non tamen omnes pro delictis occul-

tis

tis taxatas fuiſſe docet. Cum ergo, ex pœnitentiis canonicis aliquæ occultæ ſint, aliquæ publicæ, non ſequitur, quòd publicæ fuerint taxatę pro delictis occultis. Hinc idem num. 5. docet fuiſſe; has pœnitentias canonicas taxatas non ſolùm *pro gravioribus*, *ſed interdum etiam pro levioribus delictis*, pro quibus certè non imponebantur publicæ pœnitentiæ. Igitur aliquæ ex pœnitentiis Canonicis, imò pleræque non erant publicæ, ut jejunia, preces, abſtinentia à quibuſdam voluptatibus, peregrinationes ſolitæ fieri etiam pietatis ergo &c. Et hæ imponebantur pro delictis occultis. Addo quod *imponere*, & *taxare pœnitentiam* non eſt idem, præſertim in ejus ſententiâ, ac abſolutè obligare Pœnitentem ad illam ſubeundam; docet enim diſp. 38. ſect. 3. num. 2. cum S. Tho. poſſe Confeſſarium imponere vel totam, vel ſaltem partem pœnitentiæ per modum conſilii, vel conditionatè hoc modo: *Si id feceris, ſit loco pœnitentiæ Sacramentalis*.
6 Rurſus poteſt Confeſſor, ex eodem, eam imponere per modum præcepti, non cogendo tamen ineluctabiliter Pœnitentem ad eam acceptandam; quomodo ſolent communiter Confeſſarii imponere pœnitẽtias, unde ſi Pœnitens

ex

ex juſtâ causâ aliã imponi ſibi petat, vel oſtendat ingentem difficultatem in eã acceptandã, aliam imponunt: hoc autem modo fuiſſe antiquitùs impoſitas aliquando pro culpis etiam occultis publicas pœnitentias, non repugno: jam enim voluntariæ erant, nec Fideles per eas à confeſſione ſacramentali removebantur, nec per eas Confeſſarius, ſed ipſe Pœnitens ſponte revelabat peccatum ſuum. Quod ergo aſſero illud ſolum eſt, non potuiſſe ad hoc onus *cogi* Pœnitentem, & hanc eſſe communem Theologorum ſententiam, ut refert Caſtropalaus part.4. de Sacram. Pœnit. tract.23. diſp. unica punct. 21. §. 2. num. 5. ubi ſic. *OMNES CONVENIUNT injuſtiſſimè COGI Pœnitentem ad pœnitentiam publicam*. Atque ita intelligendi ſunt Doctores, dum aſſerunt, non poſſe Confeſſarium publicam pro occulto delicto pœnitentiam imponere, nempe ita, ut cogat eum acceptare hujuſmodi pœnitentiam; cogit autem, dum renuenti abſolutionem negat. Hinc Gullielmus, ſummæ Sancti Raymundi gloſſator, ipſi Raymundo ætate ſuppar ad §.6. titul.de pœnit. & remiſſ. dicit, *quod aliquis poteſt cogi per excommunicationem ad ſuſcipiendam ſolemnem pœni-*

L *ten-*

tentiam, ſi ſponte non velit ſubire, dum crimen ſit magnum, & publicum, & moveat ſcandalum, & quod pro occulto crimine imponi poteſt, ſi Pœ-
7 *nitens voluerit, aliàs non.* Notari autem debent illa verba *ſi Pœnitens*, quibus ſignificat ſe loqui, ut nos loquimur, de foro interno, quod eſt forum Pœnitentis; nam ſi ſermo ſit de foro externo, quod non reſpicit Pœnitentem, ſed delinquentem, quodque perſæpe reſpiciunt Canones Pœnitentiales, eſt indubitatum, poſſe in hoc foro publicâ pœnâ puniri etiam occultum delictum, & probatur à Suar. diſp. 3. de cenſur. ſect. 2. num. 16. & diſp. 31. ſect. 1. num. 67. aliiſque apud Morin. lib 5. cap. 26.

8 His facilè reſpondetur Albaſpinæo, aliiſque tuæ ſententiæ defenſoribus. In locis enim Patrum, & Conciliorum, quæ allegantur ab ipſis, aut non agitur de Pœnitentiis Sacramentalibus, ſed extraſacramentalibus (Eccleſiam verò poſſe in foro externo publicè punire etiam occulta delicta, non eſt dubium, ut modò dicebamus, non inde tamen ſequi quòd poſſit idipſum facere in foro *interno* patet, oſtendeturque amplius calumniâ 12.) aut agitur quidem de Pœnitentiis Sacramentalibus, iiſque publicis, ſed quæ li-

berè

berè acceptabantur, cùm pro delictis occultis imponebantur.

D. R. Igitur tibi convenit cum Morino, qui vult quidem Pœnitentes fuiſſe olim publicâ pœnitentiâ caſtigatos, ad eam tamen cogi eos potuiſſe negat, cum delictum erat occultum, ſiquidem lib. 5. cap. 11. num. 13. loquens de Zonarâ, & Balſamone, veterum Canonum pœnitentialium commentatoribus, ac dicens eos nunquam diſtinxiſſe inter peccatum occultum, & publicum, ita ſubdit. *Nec re verâ intereſt, aut illi intereſſe unquam dicunt, an crimen occultum ſit, an publicum; niſi quòd in occulto crimine reus cogi non poteſt, ſed ſuæ voluntati permittendus, ut volunt Canones.* 9

D. D. Adhuc eſt magnum inter me, & Morinum diſſidium, dum enim Morinus dicit, neminem potuiſſe pro occulto delicto ad publicam pœnitentiam cogi, id ſolùm ſignificat, non potuiſſe cogi per Eccleſiaſticas pœnas excommunicationis, aliarumque ſimilium. Cæterùm vult, potuiſſe Pœnitentem cogi præcepto ineluctabili, itaut renuenti potuerit abſolutio denegari. Id conſtat ex iis, quæ affert, ac docet in pluribus locis illius li- 10

 bri 5.

bri 5., & clariſſimè cap. 17. num. 7. ubi ſic: *Cum peccatum erat publicum, ad pœnitentiam publicè agendam, Peccatores excommunicatione, & omnimodâ Eccleſiæ expulſione cogebantur. At cum peccatum erat occultum, Pœnitentiæ publicæ actio erat ſpontanea, hoc eſt, ad eam cogi non poterant ullâ excommunicatione, aut Sacramentorum publicâ denegatione. Peccatori equidem hujuſmodi ſecretò confitenti, niſi pœnitentiam Canonicam agere vellet, RECONCILIATIONEM SECRETO' DENEGABAT SACERDOS; ſed quod ultra in eum ageret, nihil habebat.* Id ego nego, & pernego, nempe fuiſſe ſic impoſitam pro delictis occultis pœnitentiam, ut reluctanti reconciliatio negaretur.

11 Id autem probo ſic primò, quia Sacerdos id faciens, facit contra ſigillum Confeſſionis, ut ex Suario de Pœnitentiâ diſp. 21. ſect. 2. num. 6. facit ille, qui obligat Pœnitentem ad publicam occulti peccati confeſſionem, & conſtabit magis ex vltimâ calumniâ. Probo 2. quia, vel reſignet, vel non reſignet Sacrum Sigillum Sacerdos id faciens; certè imponit onus graviſſimum, quod reddit valde odioſum Sacramentum, & Fideles ab eo

remo-

removet, quod eſt contra inſtitutionem hujus Sacramenti, ut contra ipſam, & ex eàdem ratione eſt frangere Sacrum Sigillum. Probo 3. Communi Theologorum ſuffragio ut dictum eſt. Probo 4. quia per hanc Sententiam ſic temperatam, conciliantur omnia loca Patrum, & Veterum Scriptorum, quæ contraria videntur, nempe eorum, qui docent, impoſitam fuiſſe pro occultis delictis publicam Pœnitentiam, & eorum, qui id negant. Siquidem impoſita fuit non renuentibus, non impoſita renuentibus.

Patres, qui docent, aut innuunt, pro ſolis delictis publicis imponi conſueviſſe publicam pœnitentiam, afferuntur à Sirmondo in hiſtorià publicæ pœnit. & nos infra aliquos afferemus.

D. ℞. Sed Morinus affert in contrarium longè plures, quorum loca per iſthoc tuæ ſententiæ temperamentum non explicantur ſatis. Et primò, ex omnibus Patribus 12
habetur, conſueviſſe veterem Eccleſiam, cogere ad publicam pœnitentiam homicidas, & adulteros: atqui ſic plectebantur ſoli occulti homicidæ, & adulteri, nam publici puniebantur capitali ſupplicio à civili magiſtratu, ergo.

13 2. Clerici ob quædam crimina etiam occulta cogebantur abdicare ſe munere ſuo.

14 3. Antiqui Canones jubent quidem mitiùs puniri ſpontè confeſſum, quàm convictum, nempe pœnâ breviori, non autem diversâ, nec unquam diſtinguunt delictum publicum à non publico, ut fieri cœptum eſt ſeculo ſexto, vel ſeptimo, ergo ante hoc tempus eâdem pœnâ puniebatur utrumque, & quidem in foro ſacramentali. Abſurdum enim eſt dicere, Veterem Eccleſiam reſpexiſſe ſolam diſciplinam externam, quam ſolam reſpicit forum extraſacramentale.

15 4. Multa ſunt loca Patrum, veterumque Scriptorum, ex quibus habetur, in Veteri Eccleſiâ fieri conſueviſſe pęnitentiam publicam pro quibuslibet peccatis gravibus, ergo etiam pro occultis. Non eſt autem probabile, quòd Pęnitentes ſponte ſuſceperint onus tam grave, ipſum ergo ſubire cogebantur, ut ex iiſdem Patribus colligitur, quorum loca affert præſertim Jueninus.

D. D. Quæ affert is Author, expendentur concertatione ſequenti. Nunc reſpondendum eſt argumentis, quæ attuliſti ex Morino.

Ad

Ad primum nego, coactos fuiſſe ſubire 16
publicam pęnitentiam occultos homicidas, & adulteros. Et quidèm ſi publica homicidia, & adulteria fuerunt, ut inquis, pœnā capitis ab Regibus ipſis, & Imperatoribus vindicata, jam Sacerdos prædicta crimina per pœnitentiam publicam manifeſtans, aut indicans, graviſſimæ pœnæ cauſa Pœnitentibus fuiſſet, aut ſaltem eos in graviſſimum diſcrimen conjeciſſet, quod ſanè à Chriſtianâ, ne dum Eccleſiaſticā benignitate prorſus abhorret. Igitur ſciendum eſt, quod quamvis civilibus legibus pœna graviſſima fuiſſet hujùſmodi delictis ſtatuta, adhuc tamen plerumque ea non infligebatur, ut modò non infligitur, vel reo fugiente, vel pecuniā ſupplicium redimente, vel intercedentibus clariſſimis viris, & præſertim Epiſcopis, qui ſæpiſſime id officii præſtabant, ut refert Macedonius Africæ Præſes ad Auguſtinum ſcribens, & confirmat idem Auguſtinus ipſi reſcribens epiſt. 54. ex quā etiam habemus, non omnes hujuſmodi reos, Epiſcoporum precibus à morte liberatos, ad publicam pœnitentiam fuiſſe compulſos, ſed eos ſolos, quorum crimina publica erant. *Quoſdam* (inquit S.Doctor) *quorum crimina*

Digitized by Google

manifeſta ſunt, à veſtrâ ſeveritate liberatos, à ſocietate tamen removemus Altaris, ut pœnitendo placare poſſint, quem peccando contempſerint. Quod ipſum colligitur ex Ambroſio, qui lib. 1. de pœnit. cap. 16. monet, non eſſe deneganda ſacramenta ei, *qui occulta crimina habens, propter Chriſtum tamen ſtudiosè pœnitentiam egerit*, ideſt, qui publicam pœnitentiam ſubjerit, quamvis eſſet occultus peccator, adeoque non teneretur eam ſubire; igitur ſolus publicus peccator ad eam cogebatur.

17 Ad 2. reſpondeo, eam Clerici depoſitionem, vel ſuſpenſionem non fuiſſe pœnitentiam, de quâ modò agimus, nempe impoſitam ex confeſſione ſacramentali, ſed pœnam impoſitam in foro externo.

18 Ad 3. ea Canonum antiquiorum monitio tam frequens, ut convictis major pœna imponatur, quam ſponte confitentibus, ſatis oſtendit, eos Canones non reſpexiſſe ſpecialiter forum internum, in quo nemo denunciatur ab alio, nemo convincitur, ſed ipſum præcisè peccatum ſpectaſſe. Cum autem non reſpicerent ſpecialiter forum internum, ſed potius externum, non erat neceſſe, ut diſtingue-

gue-

guerent inter peccatum occultum, & publicum, cum forum externum utrumque peccatum pœnâ publicâ puniat, ut non ſemel dictum eſt, & dicetur. Nec inde ſequitur, Eccleſiam antiquiorem nullam ſtatuiſſe regulam pro foro interno: nam ea pœnæ taxatio dirigebat etiam forum internum, quatenus ex eâ dignoſcebat Confeſſarius, quæ crimina majora eſſent, & majori pęnâ digna, quæ minori.

Cæterum quamvis concedam, eos Canones reſpexiſſe forum internum, argumentum non urget. Nam, ut non diſtinguunt inter peccatum publicum, & occultum, ita non diſtinguunt inter peccatum viri, & fęminæ; non inde tamen ſequitur, eaſdem pęnitentias fuiſſe utrique impoſitas, & fęminas quoque fuiſſe exilio, vel peregrinatione mulctatas, quę pęna erat per Canones parricidis ſtatuta. Ut igitur in hoc, aliiſque ſimilibus caſibus, quamvis non diſtinguerent Canones, diſtinguebat Confeſſarius, ita in caſu noſtro. 19

D. R. At cur Canones cæperunt poſtea diſtinguere, nempe poſt ſæculum ſextum. Sic enim diſtinxit Beda cap.7.de remediis peccatorum, & poſtea Ecbertus Eboracenſis Archiep. 20

chiep. in ſuo Pœnitentiali cap. 1. Alcuinus, & in libris capitul. Caroli Magni, & Ludovici Pii, ubi cap. 52. lib. 5. ſic. *Si occultè, & ſponte confeſſus fuerit, occultè fiat; & ſi publicè, & manifeſtè convictus, aut confeſſus fuerit publicè, ac manifeſtè fiat*, nempe pœnitentia. Id ipſum monent multa Concilia, Remenſe can.31. *Ut diſcretio ſervanda ſit inter Pœnitentes, qui publicè, & qui abſconſè pœnitere debeant*. Idem iiſdemque verbis ſancitur in Moguntino, celebrato an.847. Diſtinctiùs in Londinenſi ſub annum 1200. *Pœnitentia talis injungatur uxori, unde non reddatur marito ſuo ſuſpecta de aliquo occulto, & enormi peccato*. Demum in Senonenſi an.1269. redarguuntur aliqui, quòd publicam pœnitentiam omnibus promiſcuè imponebant. *Idem etiam exempti, & alii quamplures Religioſi pro cunctis peccatis cunctas pœnas ſtatuunt infligendas, ex quo interdum evenit, ut dum tales pœnæ delinquentibus infliguntur, eorum peccata, quæ occulta fuerant, veniunt in notitiam aliorum*. Quibus præmiſſis, ſtatuitur ne id amplius fiat. Igitur fiebat antea paſſim, & impunè.

D. D. Fiebat utique, nec id negamus, ſed malè fiebat; & ideò fiebat ab aliquibus tan-

tantùm, nec approbante, aut connivente Ec-
cleſià universà, vel Romanà. Addo id fa-
ctum ſæpè non ita tamen, ut cogerentur Pę-
nitentes occulti pœnitentiam publicam ſubi-
re, ſed itaut ea imponeretur fortaſſe ſolis non
renuentibus. Quia verò experientiā comper- 21
tum eſt, ex hoc ipſo multa mala oriri, cum
præſertim cœpit eſſe frequentior uſus auricu-
laris confeſſionis, ideo cautum inde ſępiſſime
fuit, ne id ampliùs fieret. Quandoquidem
verò tam multa loca attuliſti, in quibus id
ſtatuitur, recolere etiam debebas decretum
Alexandri III. reſpondentis Epiſcopo Oxo-
nienſi; ſed fortè omiſiſti, quòd hujus Ponti-
ficis verba meæ ſententiæ ſuffragantur. Poſt-
quam enim prædictus Pontifex in eā epiſto-
là Epiſcopum monuit, ne Sacerdotem, de
quo fuerat interrogatus, ſuſpendat ab officio,
ſi occultè peccavit, addit hæc verba, *Alio-
quin non eſset tutum, cum ſit ſecretus exceſsus,
ipſum invitum ab officio coercere: ſed tamen pœ-
nitentiam ſecretam, ſecundum quòd tibi viſum
fuerit, injungere non poſtponas*. Undè infero,
ergo Eccleſia vetus non conſuevit ad publi-
cam pœnitentiam cogere, qui occultè deli-
querant: non enim eſt dicendum, eam con-
ſue-

Digitized by Google

ſueviſſe facere, præſertim cum viguit ſanctiſſima illa diſcplina, quam ſemper prædicatis, quod non ſit *ſatis tutò*, ſed cum periculo frangendi ſacrum ſigillum.

D. R. Nullum fuit tale periculum: nam certè ex pœnitentiâ publicà non poterat argui ſpecies commiſſi peccati, cum idem pœnitentiæ genus imponeretur pro iiſdem peccatis. Nec poterat ex eà argui peccatum in genere, nempe pęnitentem grave aliquod peccatum commiſiſſe, cùm ſubinde pœnitentia publica ex devotione fieret etiam ab innocentibus, ut notat Morinus lib. 2. cap. 19. n. 6.

22 *D. D.* Scio id aſſeri à Morino, & ante ipſum à Doctoribus magni nominis, verùm ſi hoc verum ſit, jam temere Auguſtinus in libro de ſymbolo ad Cathecumenos, hos alloquens dicit, *Illi, quos videtis agere pœnitentiam, ſcelera commiſerunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania. Inde agunt pœnitentiam*, ut, quia etiam homines probi tundunt inter orandum pectus ſuum, temere quis diceret, *Illi, quos videtis in Eccleſia tundere pectus ſuum, ſcelera commiſerunt aut adulteria, aut aliqua facta immania. Inde dum orant, tundunt ſua pectora.* Eſt igitur evidenter falſum conſueviſſe

ſe immiſcere ſe cum Pœnitentibus etiam innocentes. Peragebant quidem aliqui ſponte, & ex ſuà devotione publicam pœnitentiam, verùm innocentes non erant, ſed occultis ſceleribus adſtricti. Igitur Pœnitentia id ſaltem ſignificabat, Pœnitentem graviter deliquiſſe: quod optimè advertit Concilium Colonienſe in Enchiridio Chriſtianæ inſtitutionis tit. de Confeſs. §. *Reſtat ut*. Ubi loquens de pœnit. publicà, quæ olim in Eccleſià imponebatur, ſic habet. *Quà pœnitentià, etſi qui deliquit non proderet ſpeciatim crimen ſuum, tamen ipſo facto confitebatur, & declarabat Eccleſiæ, ſe graviter peccaſſe*.

23 Dixi pœnitentiam publicam fuiſſe ſaltem gravis delicti indicium, quod ſatis eſt ad oſtendendum, ad eam cogi minimè potuiſſe eum, qui occultè deliquerat: reſignati ſiquidem ſacri ſigilli reus eſt etiam, qui nullum in ſpecie peccatum prodit, ſi manifeſtet in genere Pœnitentem gravi aliqua culpa fuiſſe obſtrictum, ut omnes docent, nec ut arbitror diſſentis. Cæterùm, ſæpiſſime ex adjunctis circumſtantiis ſpecies ipſa culpæ indicabatur, aut ſuſpicioni non leve fundamentum præbebatur, quod ipſum per leges ſacri ſigilli

gilli non licet, nec unquam licuit, quidquid in contrarium ſenſerint aliqui ex veſtris, quorum eſt ultima hujus primæ Partis Calumnia parum diſtans ab eà, quam nunc nitor diſiicere, ut à fundamento non diſtat moles ſuperimpoſita. Quare non pauca dicenda tunc erunt, quæ magis oſtendent, nunquam fuiſſe in foro interno occultum delictum pęnà publicà vindicatum, voſque ad aliter ſentiendum inductos eà perſuaſione, quòd unum, & idem fuerit in Eccleſia veteri forum internum, externumque, vel eaſdem fuiſſe, aut eſſe poſſe utriuſque fori pęnas, eandem in puniendis occultis delictis diſciplinam.

Quod autem quarto loco obiiciebas, eſt ipſa octava Calumnia, quam mox diſiicere, aggrediar.

Digitized by Google

CALUMNIA VIII.

Pro quibuslibet peccatis lethalibus, publicam Pœnitentiam impoſuit Vetus Eccléſia.

DISPUTATIO VIII.

Doct. Diſcr. JAM verò reiicienda eſt octava Calumnia, quam contra veteris Eccleſiæ diſciplinam adornabas in quarto argumento, quod in præteritâ diſputatione propoſuiſti: quamvis ex iis quę in eâ dicta ſunt, ſatis ea rejecta videatur: ſi enim falſum eſt, ut ibi probavi, fuiſſe unquam ab Eccleſiâ, pro occultis delictis, quamvis atrocibus, ineluctabiliter impoſitam publicam 1

blicam Pœnitentiam, utique falſum eſt, fuiſſe eam impoſitam pro quibuslibet lethalibus culpis.

2 *Doct. Rig.* Id tamen factum fuiſſe affirmant eruditi Scriptores, inter quos eſt Gaſpar Jueninus, ut dicebam, qui in Commentario Hiſtorico, & Dogmatico de Sacramentis tom. 2. diſſert. 6. quæſt. 6. cap. 7. art. 1. §. 2. pag. 688. ſic habet: *Docet Morinus noſter, trium Priorum Seculorum Patres, per Pœnitentiam publicam purgaſſe triplicis tantùm ſpeciei peccata, Idololatriam, Homicidium, Moæchiam. Et rurſus quarto Seculo, & duobus proxime ſequentibus, peccatis, quæ tertio Seculo erant Canonica, addita fuiſſe non quidem omnia mortalia, ſed quæ inter mortalia cenſentur graviſſima. Nonnulli alii Scriptores contendunt uni regulæ ſubjecta fuiſſe quæcumque mortalia, ſeù nullum omnino fuiſſe peccatum mortale quod pœnitentià publicà caſtigatum non fuerit.* Inde profert ſententiam ſuam per hæc verba. *Si pœnitentia ſumatur pro pœnis publicis non determinatis quidem per Canones, ſed Epiſcoporum arbitrio permiſſis, quodlibet peccatum mortale caſtigatum fuit Pœnitentià publicà etiam tribus Prioribus Seculis.* Ita is Auctor.

D.D.

D. D. Cęteris,ut ſibi videtur,eruditior, ſed re verà cæteris audacior , & prorſus appoſitè ad tollendam de veteri Eccleſiâ auricularem & ſecretam Confeſſionem .

D. R. Num audaciæ tribuendum, quod quis ſequatur Patres, Clementem, Tertullianum, Cyprianum , alioſqne quorum textus huic ſententiæ ſuffragantes , niſi graveris audire , libenter afferrem .

D. D. Patres audire nihil gravor , gravor autem quam maximè audire eos , qui Patribus , nempe aſſertoribus veritatis , confirmandis erroribus abutuntur .

D. R. At error nequit eſſe , quod ab 3
ipſis unanimi conſenſu aſſeritur diſertiſſimè . Incipiam à primo , nempe à Clemente , immò ab ipſis Apoſtolis , quorum ille conſtitutiones collegit . Earum enim lib. 2. cap. 19. ſic præcipitur Epiſcopo , *Cum aliquem peccaſſe cognoveris exacerbatus jube eum foras eiici , &c.* Igitur Apoſtoli jubent eiici ab Eccleſia adeoque publicæ Pœnitentiæ addici eum qui depræhenditur graviter peccaſſe , qualecumque demum fuerit peccatum . Tertullianus in lib. de Pœnitentià ſic habet . *Omnibus ergo delictis , ſeu carne , ſeu ſpiritu , ſeu fa-*

ĉto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium definivit, idem & veniam per pœnitentiam ſpopondit. Hæc ſententia, qua nulla univerſalior in hac re fingi poteſt, omnia ſanè deliĉta, nempe peccata gravia compleĉtitur. Igitur omnia remittebantur per pœnitentiam publicam, de qua eum agere conſtat
4 ex cap.9.& 10. ubi eam deſcribit. Cyprianus ſerm.5. de lapſis refert, etiam eos qui in corde ſuo lapſi erant per internam apoſtaſiam, egiſſe cum reliquis Pœnitentiam: reliqui autem certè publicam agebant. Si verò agebatur pro interno peccato mortali, jam agebatur pro omnibus. Idem exponens quartam orationis Dominicæ partem libro, quem de ea ſcripſit, ſic loquitur. *Hunc panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſtamus, & Eucbariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente graviori deliĉto, dum abſtenti, & non communicantes à Cęleſti pane probibemur, à Chriſti corpore ſeparemur*. Igitur qui graviter deliquerant, prohibebantur communicare cum aliis, quod certè genus publicæ Pœnitentiæ erat, ut conſtabit ex ſequentibus Patrum ſententiis. Baſilius, aliique
5 Canonum Pœnitentialium Colleĉtores publicas

blicas

Digitized by Google

blicas abſque dubio pœnitentias decernunt, ſed eas pro quovis genere delictorum decernunt, ergo pro quovis genere delictorum fiebant. S. Ambroſius lib. 1. cap. 16. *Volo veniam reus ſperet, petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoſcatur obſecret: & cum ſecundò & tertiò fuerit dilata ejus communio; credat remiſſiùs ſe ſupplicaſſe; fletus augeat, miſerabiliter poſtea revertatur, teneat pedes brachiis, oſculetur oſculis, lavet fletibus*. Hic certè deſcribitur Pœnitentia publica, in qua pœnitens proſternebat ſe ante pedes Fidelium. Eam verò vult fieri à quovis reo, nam loquitur generaliter & redarguit Novatianos, qui pœnitentiam quidem omnibus criminibus injungebant, ſed quibuſdam negabant reconciliationem. S. Auguſtinus 6
lib. 83. quæſtionum, quæſt. 26. dicit, non eſſe eos *cogendos ad pœnitentiam luctuoſam & lamentabilem*, qui peccant ex infirmitate aut ignorantia, quorum peccatum vocat veniale; ſed eos qui peccant ex malitià contra bonitatem Divinam, ergo omnes qui mortaliter, ac deliberatè peccabant ad publicam Pœnitentiam damnabantur. Idem Homil. 50. deſcribit triplex genus pœnitentiæ: & primam

mam dicit eſſe ſuſcipientium Baptiſmum, ſecundam dicit eſſe eam quæ ſit pro culpis quotidianis, *quæ non lethali vulnere ſentiuntur*, tertiam *quæ pro illis peccatis ſubeunda eſt, quæ legis Decalogus continet*. Hujus autem tertiæ pęnitentiæ nomine, publicam ab eo intelligi patet ex ejus tractatu de utilitate pęnitentiæ cap. 3. ubi ſimiliter pęnitentiam dividens trifariam ſic loquitur de tertia. *Eſt pœnitentia gravior atque luctuoſior, in quâ propriè vocantur in Eccleſia Pænitentes remoti etiam à Sacramentis Altaris participandis*. Nec facit, quod ad calcem libri de Symbolo ad Catechumenos, hos alloquens dicat, *Nolite illa committere, pro quibus neceſſe eſt, ut à Chriſti corpore ſeparemini, quod abſit à vobis: illi enim quos videtis agere pœnitentiam, ſcelera commiſerunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania. Inde agunt pœnitentiam*: nam per ea verba *facta immania* intelligit quodvis peccatum lethale: hinc ſubjicit, *Nam ſi levia peccata illorum eſſent, ad hæc quotidiana oratio ſufficeret*. Unde concludit. *Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Eccleſiâ, in Baptiſmate, in Oratione, in humilitate majoris Pœnitentiæ*.

7 S. Leo in ea celebri epiſtola ad Epiſcopos Cam-

Campaniæ , Samnii & Piceni , prohibet qui-
dem , ne presbyteri cogant pęnitentes ad pu-
blicam omnium peccatorum confeſſionem ,
ſed ſilet omnino de publica pęnitentia , quæ
poſt illam confeſſionem ſequebatur ; igitur
non improbavit., quòd ea pro omnibus deli-
ctis imponeretur . Gennadius lib. 2. de dog-
matibus Eccleſiaſticis , *Communicaturus ſatis-
faciat lacrymis & orationibus ; & confidens de
Domini miſeratione , qui peccata piæ confeſſioni
donare conſuevit, accedat ad Euchariſtiam . Sed
hoc de illo dico , quem capitalia & mortalia pec-
cata non gravant ; nam quem mortalia crimina
poſt Baptiſmum commiſſa premunt , hortor priùs
publicâ pœnitentiâ ſatisfacere , & ita Sacerdotis
judicio reconciliatum , communioni ſociari , ſi
vult non ad judicium & condemnationem ſui
Euchariſtiam percipere .* Quamvis autem dicat
hortor , vult tamen omnino fieri ut quid ne-
ceſſarium, quare dicit, alioquin Euchariſtiam
percipi in condemnationem . Iſidorus in ex- 8
hortatione ad pęnitentiam , *Pœnitentia juxtâ
qualitatem delictorum agenda eſt, nam ſicut levia
peccata occulta oratione delentur , ita gravia co-
ram Eccleſiâ per pœnitentiam & ſatisfactionem
remittuntur:* Igitur omnia gravia remitteban-

Digitized by Google

tur per Penitentiam, quæ fiebat coram Eccleſia, adeoque publicam. Innocentius primus in Epiſtola ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, *De pœnitentibus* (inquit) *qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo quintâ feriâ ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat.* Hic certè agitur de publicè Penitentibus, ut omnes concedunt, qui tamen dicuntur agere penitentiam etiam *ex levioribus*, nempe ex minus gravibus, ergo pro gravibus omnibus agebatur publica penitentia. Hæc ſane demonſtrant, non eſſe audaciæ inſimulandum eum qui aſſerit, antiquam Eccleſiam, pro omnibus gravibus culpis, publicam penitentiam imponere conſuevıſſe, niſi eò laxitatis & impietatis ventum ſit, ut qui cum Patribus ſentit, audax judicetur.

9 *D. D.* Ego verò iterum aſſero, per ſummam audaciam dici, hanc fuiſſe, veteris Eccleſiæ, in adminiſtrando Sacramento Penitentiæ diſciplinam. Ex hac enim aſſertione ſequitur primò, quòd etiam pro peccatis occultis, debuit ex præcepto Confeſſarii fieri publica penitentia, quod vidimus repugnare inſti-

inſtitutioni Sacramenti pęnitentiæ. Sequitur ſecundò fuiſſe ab Eccleſia veteri conditos Canones & præcepta obſervantiæ difficillimæ, quæ proinde obſervari moraliter non poterant: leges autem hujuſmodi, nonniſi imprudentiſſimè fieri, conſtat apud omnes. Quod aùtem difficillimum ſit pro quovis peccato, agere publicam pęnitentiam, patet primò, quia certe difficillimum eſt eam agere pro occultis, nempe omnibus manifeſtare ſe graviter deliquiſſe. Patet ſecundò quia cùm graviter peccare, fuerit ſemper malum ſatis frequens & commune, jam debuiſſent Fideles ſemper eſſe ſub jugo Pęnitentiæ, & expelli ab Eccleſia cum Sacerdos rem Divinam faciebat.
Unde ſequitur tertiò Eccleſiam veterem red- 10
didiſſe maximè odioſum Sacramentum Pęnitentiæ, quod eſt certè contra hujus Sacramenti inſtitutionem. Sequitur quartò ferè omnes Veteris Eccleſiæ Fideles, vel non confeſſos fuiſſe, ne ſubirent hujuſmodi onus, vel confeſſos hujuſmodi onus non adimpleſſe: nam, ut conſtat ex Patribus & Scriptoribus Eccleſiaſticis, perpauci erant qui publicam pęnitentiam facerent, cùm è contra innumeri ſemper fuerint, qui culpas lethales commit-

Digitized by Google

terent. Sequitur quintò non fuiſſe in Eccleſiâ veteri uſum confeſſionis auricularis, aut purè auricularis, quæ non eſſet ordinata ad pœnitentiam publicam. Hæc ſane abunde demonſtrant, falſum eſſe, pro quovis delicto, publicam pœnitentiam fieri debuiſſe, niſi nomine
11 pęnitentiæ publicæ, intelligatur quæcumque publica ſignificatio pœnitentiæ, quamvis nihil aſpera, & laborioſa, quales ſunt pœnitentiæ, quæ fiunt ſponte à Religioſis ſimul congregatis, dum oſculantur aliquorum pedes, orant brachiis elevatis, publicam ſed generalem ſuarum culparum confeſſionem faciunt, aliaque hujuſmodi præſtant. Si enim hæc, & ſimilia facta olim fuiſſe in Eccleſiâ publicè à quibuslibet lethalis culpæ reis, velit Juenitus, non repugnabo: ſed aliquid plus videntur ſignificare Patres, dum de publicâ pœnitentiâ agunt, alioquin etiam modò fieret in Eccleſiâ pro quovis peccato publica pœnitentia, cum etiam modò, quicumque confitetur, Sacerdotis ſe pedibus publicè demittat in Eccleſiâ, expectet humiliter audiri, confiteatur, ſecretò quidem, ſed coram omnibus, recitet in conſpectu omnium injunctam pœnitentiam, & ante quam communicet generalem ſuarum

cul-

Digitized by Google

culparum confeſſionẽ publicã peragat: nemo autẽ dicit, modò pro quovis peccato fieri publicã, ut olim in Eccleſiâ veteri, pœnitentiam.

12 His argumentis accedit manifeſta auctoritas Patrum, quorum aliqui aſſerunt, pro ſolis majoribus culpis factam eſſe publicam pœnitentiam; alii pro ſolis publicis, quæ ſcandalum præbuiſſent. Aliquot horum Patrum loca attulimus in præteritis diſputationibus; alia hìc & in ſequentibus afferemus, ex quibus & ex rationibus ſupra allatis, ſunt exponendi textus quos in medium produxiſti.

13 Ut autem incipiam à Clemente, unde ipſe incepiſti, is in loco quem citaſti, pœnitentiam non ſolum publicam injungit, ſed maximè publicam, quam ſolemnem dicimus, & artificialem vocat Juenin, cujus aliquas ceremonias fieri ſolitas à Diaconis ibi Clemens commemorat: ſolemnem autem pœnitentiam impoſitam pro quovis gravi delicto negat idem Juenin. Non igitur de reo cujuſvis gravis peccati ibi agit Clemens, ſed de eo qui graviora publicè commiſerat. Adde, quod non agit de pœnitentiâ infligendâ Sacramentaliter confeſſo ſed *deprebenſo* ideſt convicto, quod non fit in foro Pœnitentiæ.

Quod

14 Quod attinet ad Tertullianum , nihil cogit aſſerere , ipſum ſemper agere de pęnitentiâ publicâ , dum eo in libro agit de pęnitentiâ . Quamvis ergo cap. 9. & 10. agat de pęnitentiâ publicâ, nego de eâ agere in textu allato ; cum præſertim nullus alicujus notæ Scriptor aſſerat, tempore Tertulliani aut Cypriani , coactos fuiſſe Fideles agere de quovis delicto publicam pęnitentiam , & multò minus de peccatis ſolius voluntatis aut cogitationis,quorum meminere in locis allatis prædicti duo Doctores , quorum ſecundus laudat quidẽ eos, qui vel de ipſis peccatis ſolius cogitationis ſe accuſabant , & forte etiam publicæ ſe correctioni ſubjiciebant , non autem eos ad id coactos fuiſſe affirmat, imò ſatis innuit, eos cogi non conſueviſſe , dum pro gravioribus , non autem pro gravibus à ſumendâ Euchari-
15 ſtiâ prohibitos Fideles dicit : quæ ipſa Euchariſtiæ privatio, erat quidem una ex pęnis quæ infligi ſolebant agentibus publicam pęnitentiam , ſed ipſa ſola publica pęnitentia non erat: Unde quamvis etiam modò aliquando Confeſſarii hanc pęnitentiam imponant , non inde tamen dicuntur publicam pęnitentiam imponere . Hinc nego, omnes pęnitentias re-

cenſi-

cenſitas à Canonum Collectoribus eſſe publicas, cum aliquæ conſiſtant in prędicta Euchariſtiæ privatione, aut in jejuniis, aliiſque hujuſmodi domi obeundis, vel fieri ſolitis etiam ab iis, qui pęnitentiam non agebant. Nego ſimiliter Ambroſium loqui de reo cujuslibet gravis delicti, dum vult eum conſtanter provolutum pedibus Fidelium ingemiſcere, lacrymari &c. Sed de eo qui graviora deliquerat, cui utcunque conſtantiſſimè & humillimè ſupplicanti, veniam Novatiani negabant: ſæpe enim propoſitio univerſalis fit particularis ex contextu. Adde nullum verbum contineri in eo textu Ambroſii, quod obligationem ſonet, *volo* inquit *veniam reus lacrymis petat &c.* vult autem etiam qui ſolùm hortatur.

S. Auguſtinus, quamvis videatur cujuslibet delicti reum addicere publicæ pęnitentiæ, debet tamen ſemper ſubintelligi *ſi publicè enormiterque peccávit*, ut patet ex pluribus aliis ejus textibus, & præſertim ex ejus Epiſtolà ad Macedonium quam præcedenti concertatione produximus, ubi dicit eos ad publicam pęnitentiam damnari conſueviſſe, *quorum crimina manifeſta ſunt*: nomine autem 16

cri-

criminis ſignificari à Patribus ſolùm graviora delicta norunt omnes: hinc criminoſi non omnes dicuntur qui graviter delinquunt v.g. per pravam cogitationem aut voluntatem, ſed qui majoribus ſe culpis obſtringunt. Nec facit, quòd idem Sanctus Doctor, in lib. de pęnitentiæ medicinâ quem tu citaſti, agens de tertia illa pęnitentia dicat, eam ſubeundam pro illis peccatis *quæ legis Decalogus continet*; nam ſubicit, *Judicet ergo ſe ipſum homo .... veniat ad Antiſtites, per quos in Eccleſia claves miniſtrantur; & tanquam bonus incipiens jam eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito, à Præpoſitis Sacramentorum, accipiat ſatisfactionis ſuæ modum; ut in offerendo Sacrificio cordis contribulati, devotus & ſupplex id tamen agat, quod non ſolùm illi proſit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum, ut ſi peccatum ejus non ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam IN SCANDALO EST ALIORUM; atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ videtur Antiſtiti, in notitiam multorum, vel etiam totius plebis, agere pœnitentiam, non recuſet, non reſiſtat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem &c.* Ex quibus colligitur manifeſtè, conſueviſſe quidem fieri publicam pęni-

pęnitentiam de peccatis , quæ legis Decalogo continentur , non tamen de omnibus , ſed de publicis *quæ fuiſſent aliis ſcandalo* imò nec ſemper de his ipſis , ſed ſi viſum fuiſſet Antiſtiti , qui ea ſola ſic plectebat quæ cauſa majoris ſcandali & perturbationis fuerant. Neque hìc locum habet ea diſtinctio pęnitentiæ ſolemnis à publicâ non ſolemni,non ſolùm quia Auguſtinus non ſolet ſic diſtinguere,ſed agere de ſola publica , ſed etiam quia hic expreſsè agit etiam de ea quæ nec penitus publica erat, fiebatque coram *multis*, ſed non in conſpectu *totius plebis*: & tamen nec iſtam docet ſolitam imponi omnibus qui graviter deliquerant.
Hoc ipſum oſtendo alio textu S. Doctoris; 17
nam Sermone 17. de Verbis Domini , agens de correctione fraterna non ſemel monet , eſſe ſecretò corripienda quæ ſecretò peccantur, ne inimicus audiat & ſcribat ad accuſandum & puniendum. *Corripienda ſunt ſecretiùs* (inquit) *quæ ſecretiùs peccantur .... Sic agamus & ſic agendum eſt .... ut ab altero neſciatur, in ſecreto debemus corripere , in ſecreto arguere , ne volentes publicè arguere, prodamus hominem . Nos volumus corripere & corrigere . Quid ſi inimicus quærit audire quod puniat ? novit enim neſcio*

quem

quem homicidam Epiſcopus & alius illum nemo novit ; ego volo illum publicè corripere, & tu quæris inſcribere. Prorſus nec prodo nec negligo, corripio in ſecreto, pono ante oculos Dei Judicium, terreo eruentam conſcientiam, perſuadeo pœnitentiam. HAC CHARITATE PRÆDITI ESSE DEBEMUS. Unde aliquando homines reprehendunt nos, quod quaſi non corripiamus, aut putant nos ſcire quod neſcimus, aut putant nos tacere quod ſcimus. Sed fortè quod ſcis & ego ſcio, ſed non coram te corripio, quia CURARE volo non accuſare. Sunt homines adulteri in Domibus ſuis, in ſecreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus ſuis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum ſalutem quærentibus, nos non prodimus palam, ſed in ſecreto arguimus &c. Igitur Charitas poſtulat, ne publicetur peccatum quod eſt ſecretum, nec aliter poteſt fieri ab eo qui velit *CURARE*, ergo à fortiori Charitas poſtulat, ne cogamus alterum ſua peccata publicare, quæ ab eo ipſo audivimus in confeſſione Sacramentali, ut confitentem tanquam Pater peramanter curemus. Et quidem ſi Auguſtinus putavit, non curari vulnera ſecreta & pudenda, cum publicantur à Medico, certè

non

non putavit eadem curari, cum Medicus cogit infirmum ea publicare, cum non minus hoc quam illud exaſperet, ergo cenſuit non eſſe cogendum Pęnitentem ad publicam pro quibuslibet delictis pęnitentiam, quæ eſt ipſius delicti ſaltem in genere manifeſtatio, ergo ubi agit de publica pęnitentia, nunquam ſignificat, eam talem fuiſſe aut eſſe debere, quam Pœnitens pro quovis peccato ſubire cogeretur.

Quod dictum eſt de S. Auguſtino (nempe ejus hac ſuper re Sententias, quamvis videantur univerſales, eſſe modo expoſito limitandas ex contextu, aut ex aliis ejuſdem Doctoris textibus) dicendum eſt etiam de cæteris Doctoribus, ut oſtendo in hoc textu S. Cæſarii Epiſcopi Arelatenſis homiliâ prima in Quadrageſima ubi ſic. *Si levia ſunt forte delicta, v. g. ſi homo, vel in Sermone, vel in aliqua reprehenſibili voluntate, ſi oculo peccavit, aut corde, verborum, & cogitationum maculæ quotidianâ oratione curandæ, & privata compunctione terendæ ſunt. Si verò quiſque conſcientiam ſuam interrogans, facinus aliquod capitale commiſit, aut ſi fidem falſo teſtimonio expugnavit ac prodidit, aut ſacrum veritatis nomen perjurii* 18

teme.

temeritate violavit, ſi veram Baptiſmi tunicam cæno commaculati pudoris infecit, ſi in ſemetipſo novum hominem nece hominis occidit, ſi per augures & divinos atque incantatores, captivum ſe Diabolo tradidit. Hæc &, ejuſmodi commiſſa expiari penitus communi & mediocri, licet ſecretâ ſatisfactione non poſſunt, ſed graves cauſæ graviores & acriores publicas curas requirunt. His videtur Cæſarius docere ſubeundam eo tempore fuiſſe pro quovis gravi delicto ſaltem externo publicam pœnitentiam: verùm non docet, id eſſe faciendum abſolutè, ſed ſi delictum publicum ſit, quod ex more illorum temporum ſubintelligebatur; Unde ſubjungit, *ut qui cum plurimorum afflictione ſe perdidit, ſimili modo cum plurimorum ædificatione ſe redimat*.

19 Id ipſum debet ſubintelligi in textu Gennadii, qui præterea eos ſolos ſubjicit publicæ penitentiæ, quos *capitalia peccata gravant*. Capitalia autem non omnia gravia dicebantur, ſed præcipua. Iſidorus ſolum docet *gravia peccata non deleri per pœnitentiam internam* ita ut non teneatur Pœnitens ea confiteri Miniſtro, qui ſolet publicè in Eccleſia Sacramentum pęnitentiæ adminiſtrare.

Textus

Textus Innocentii non innuit, impoſi- 20
tam olim & præceptam fuiſſe publicam pœnitentiam pro quovis peccato mortali, ſed ad ſummum, aliquos Pœnitentes, etiam pro peccatis non ita gravibus, quæ leviora vocat Sanctus Pontifex, egiſſe publicam pœnitentiam, quod ex conſilio Confeſſarii, aut ex pietate prorſus liberà, ſuæque voluntatis impulſu, factum quandoque fuiſſe non nego. Cæterum idem Pontifex in Epiſtola ad Exuperium Toloſanum diſertè aſſerit, nec privari Communione conſueviſſe adulteros occultos; & generaliter *non vindicari ab Eccleſia latentia peccata*: ejus enim eſt ea celebris ſententia. *Non habent latentia peccata vindictam*, nempe publicam.

Quod autem addit Jueninus, à Leone 21
ſublatam fuiſſe ſolam confeſſionem publicam, non autem pœnitentiam publicam omnium culparum, divinando dicit, non ratiocinando: nam S. Pontifex ex duplici ratione ſuſtulit publicam eam confeſſionem, nempe quia ex doctrina Apoſtolorum, ideſt ex inſtitutione hujus Sacramenti, *ſufficit confeſſio ſecreta*, & quia eâ confeſſionis publicæ neceſſitate, multi arcebantur à Sacramento: utraque autem hæc

ratio probat, nec fuiſſe obligandos Fideles ad publicam omnium culparum pœnitentiam, cum enim per hanc, ut oſtendimus ex Auguſtino, revelentur peccata, jam non ſatis fuiſſet confeſſio ſecreta, & rurſus Fideles à prædicto Sacramento fuiſſent abducti, tum difficultate rei, tum metu gravis mali: ex circumſtantiis
22 enim facile adſtantes ſuſpicati fuiſſent culpæ ſpeciem, pro qua Pœnitens publicam ſubire pœnitentiam cogebatur, adeoque impletæ ſuſpicionibus Domus, totæque Urbes fuiſſent cum magno detrimento communis Charitatis, pacis, & humanæ felicitatis, quam Chriſtus Dominus ſuis legibus, & Sacramentis augeri voluit & perfici: non autem imminui, quod ſanè validiſſimè confirmat ſententiam noſtram in hunc modum. Publica pœnitentia pro quovis delicto fuiſſet, ſaltem excitando graviſſimas ſuſpiciones, pacis publicæ privatæquè perturbatio. Sed id quod hujuſmodi eſt, juberi ab Eccleſia non poteſt, & ſi non poteſt, juſſum nunquam fuit, ergo publica pœnitentia, juſſa nunquam fuit.

23 Cæterùm quod ſpectat ad Leonem, etiam ex alio textu, nempe ex Epiſtola 91. ad Theodorum Epiſcopum foro-Julienſem con-

conſtat, eum noluiſſe, ut pro quovis delicto imponeretur publica pœnitentia: ſic enim habet. *Qui convivio ſolo Gentilium, & eſcis immolatitiis uſi ſunt, poſſunt jejuniis & manuum impoſitione purgari*: En pœnitentia ſecreta, impoſita à Sacerdote in ſecreta confeſſione. *Si autem Idola adoraverunt, aut homicidiis aut fornicationibus contaminati ſunt, ad communionem eos niſi per pœnitentiam publicam non oportet admitti.* En publica pœnitentia pro his tribus ſceleribus, Apoſtaſia, Homicidio, & Adulterio publico. Et quidem hæc ſola tria peccata, & his affinia, vindicata in pleriſque Eccleſiis & præſertim in Romana fuere per publicam pœnitentiam, in aliquibus forte aliquot alia, in nulla omnia.

Solvimus argumenta contraria. Neſcio an tu ſolvere poſſis ea, quibus probavi Sententiam meam.

D. R. Ego quidem paratus non veni; nec iſta, quæ Patrum authoritate nituntur, aliâ ratione quàm collatis Patrum Sententiis, adeoque longo ſtudio ſolvuntur. Te conveniam iterum, & forte aliquid afferam, quo tua convellam, & quæ propoſui ſtabiliam.

D. D. An te facturum ſperas, quod 24

Digitized by Google

nequiit Juenin, ille tuus Juenin, quem adeo celebras, quemque tam facile intelligis, quàm ille facile pronunciat. Is conatus eſt ſolvere, quæ propoſui, ſed an feliciter fecerit, eſto Judex. Meam ſententiam paulo ante, ſi meminiſti, probavi ex eo, quod ſi pro quovis gravi peccato debuiſſet fieri in Eccleſia veteri publica pœnitentia, cum pauciſſimi ſint qui diù peccato mortali careant, fere omnes fuiſſent pœnitentes: Unde ſequitur, quod vix ullus Sacrificio interfuiſſet, cùm ei adeſſe Pœnitentes non poſſent. Audi nunc, quid reſpondeat tuus Juenin. Dicit primò, locum non habere hoc argumentum pro prioribus Eccleſiæ ſeculis, cum ſanctiſſimæ, & æquiſſimæ leges florebant; perinde acſi, cùm Sanctiſſimę florent leges, pauci delinquant, nec ſint modò, floreantque in Eccleſia leges æquè ſanctæ, cum quibus tamen innumeri peccant. Sunt (inquiet) ſed non florent, quia à pleriſque non obſervantur. Sed mitto quærere quid ſit leges florere, nego fuiſſe totis tribus prioribus ſeculis leges à pleriſque obſervatas, & magis quam nunc cuſtoditas; nec id ex Tertulliano colligitur, aut ex Cypriano eorum temporum Doctoribus, qui

tam

tam ſæpè invehuntur in corruptos ſui ſeculi mores. Certè ſanctiores fuere Fideles in pri- 25
mitiva Eccleſia; neſcio tamen an plerique leges cuſtodierint: id ſcio, non ſemel eos redargui à Divo Paulo vel ut diſcordes, vel ut non ſatis firmos in fide, amanteſque novæ doctrinæ, vel ut Sacramentorum in Eccleſia contemptores, quos multos fuiſſe idem Apoſtolus affirmat, & plus quam multos fuiſſe colligitur ex hiſtoriis, nec tamen eos Paulus ab Eccleſia pellebat, nec in ordinem Pœnitentium redigebat.

Reſpondet 2. *ex noſtro argumento nihil quoque concludi pro ſeculis quæ ſubſequuta ſunt: ſiquidem pauci erant rei, qui ſtatim admiſſum ſcelus confiterentur, ac proinde plerique, licet in ſtatu peccati mortalis verſarentur, ſacris myſteriis aderant cum populo Fideli*. Addit Epiſcopos conſueviſſe aut eximere quoſdam à publica pœnitentia, aut mitiùs punire permittendo pleriſque, ut in Templo cum reliquis Fidelibus conſiſterent. Hùc igitur evadebat totus ille rigor damnandi omnes peccatores ad publicam pœnitentiam, ut videlicet vix ullus eam vere ſubiret, uti fuiſſet per Cano-

Digitized by Google

nes ſubeunda. Iſta ſanè ſeveritas, quæ legum eſt, non morum, Chriſtiana ſeveritas nunquam fuit, ſed Phariſæorum.

CA-

CALUMNIA IX.

Per viginti & amplius annos, variis, magniſque corporis animique laboribus, ſuos Pœnitentes exercere ac probare conſuevit vetus Eccleſia.

DISPUTATIO IX.

Doct. Diſcr. QUid inquis? igna- 1
rus fortè videbor tibi Eccleſiaſticæ antiquitas?

Doct. Rig. Imò ignariſſimus. Nec videris tantum ſed es. Quis enim non legit, vel ſaltem non audivit Canones Gregorianos, Nyſſenos, quibus hujuſmodi Pœnitentiæ injunguntur? *Qui ſuâ ſponte interfecit* (inquit Sanctus Baſilius in ſua Epiſtola Canonica ad Amphilochium can.56.) *& poſtea*

pænitentià ductus eſt, viginti annis Sacramento non communicabit. Viginti autem anni ſic in eo diſpenſabuntur. Debet quatuor annis deflere, ſtans extra fores Oratorii, & Fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, ſuam iniquitatem pronuncians. Poſt quatuor autem annos, inter Audientes recipietur, & quinque annis cum ipſis egredietur: ſeptem autem annis cum iis, qui in ſubſtratione orant, egredietur. In quatuor annis ſolùm ſtabit cum Fidelibus, ſed non erit oblationis particeps, iis autem expletis, erit Sacramentorum particeps. Vigintiſeptem annorum ſpatio publicam ſolemnemque in his quatuor ſtationibus pęnitentiam profiteri voluit homicidam Sanctus Gregorius Niſſenus Epiſt. ad Letojum, totoſque ex his novem annos, ante fores Eccleſiæ gemere & lacrymari. Vix non in perpetuum ab Eccleſię foribus ablegavit impios quoſdam fures Grego-
2 rius Thaumaturgus. Et quidem, quamvis perpetua non ſoleret eſſe ea ſolemnis pœnitentia, quæ in prædictas quatuor ſtationes diſtribuebatur, perpetua tamen ſubinde erat ea, quæ poſt hanc, reo, quamvis abſoluto reconciliatoque imponebatur: jubebatur enim in reliquum omne ſuæ vitæ tempus, lacrymis,

Digitized by Google

mis , & jejuniis indulgere , cilicium vix unquam deponere , diutiſſimè nudis pedibus incedere , abſtinere ſemper à balneis , à thoro , à ſpectaculis , à conviviis , ab uſu vehiculi , à militia ipſa , & publici cujuslibet muneris adminiſtratione , quorum omnium proferam certiſſima documenta . S. Cyprianus in lib. de lapſis , *Orare oportet impenſiùs & rogare* , *diem luctu tranſire, vigiliis noctes ac fletibus ducere , tempus OMNE lacrymoſis lamentationibus occupare.,* *ſtratos ſolo adherere cineri , in cilicio & ſordibus volutari &c.*

S. Ambroſius lib. 1. de pœnitentia cap. 3
16. *volo veniam reus ſperet , petat eam lacrymis , petat gemitibus , petat populi totius fletibus , ut ignoſcatur obſecret , & cum ſecundò, & tertiò fuerit dilata ejus communio , credat ſe remiſſiùs ſupplicaſſe ; fletus augeatur , miſerabilior poſtea revertatur , teneat pedes brachiis , oſculetur oſculis , levet fletibus , nec dimittat . . . . cognovi ego quoſdam in pœnitentia ſulcaſſe vultum lacrymis , exaraſſe CONTINUIS fletibus , genas , ſtraviſſe corpus ſuum calcandum omnibus , jejuno ore SEMPER & pallido , mortis ſpeciem ſpiranti in corpore prætuliſſe.* Et lib. 2. c. 10. *An quiſquam illam pœnitentiam putat , ubi acqui-*

rendę

rēdę ambitio dignitatis,ubi vini effuſio, ubi ipſius copulæ conjugalis uſus? Renuntiandum Sæculo eſt, ſomno minus indulgendum eſt, quàm natura poſtulat, interpellandus eſt gemitibus, interrumpendus eſt ſuſpiriis, ſequeſtrandus orationibus, vivendum ita, ut vitali huic moriamur uſui. Cumque nec hìc nec alibi Sactus Doctor terminum definiat hujus abſtinentiæ pœnitentiæque, debuiſſe eam eſſe perpetuam, ſatis innuit.

4 Simili modo loquitur Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus hom. 1. ex vulgatis à Baluzio. *Sunt enim aliqui Pœnitentes, qui ideo citò reconciliari volunt, ut carnes accipiant. Certum eſt quòd non ſatis pœnitentiam accipit, qui carnes,nullà infirmitate cogente,aut deſiderat aut præſumit accipere. Et ideo etiam reconciliatus Pœnitens, ubicumque aut in ſuo, aut in alieno convivio olera, & legumina, aut piſciculos invenire potuerit,aliam carnem non debet accipere.* Magis expreſsè Baſilius in ea Epiſtola ad Amphilochium can. 73. *Chriſtum negantes toto vitæ ſuæ tempore deflere, & pœnitentiam agere* decernit. Auctor libri de vera, & falſa pœnitentia inter opera Sancti Auguſtini *Abſtineat à multis licitis, qui per libertatem arbitrii, com-*

miſit

miſit illicita. *SEMPER offerat Deo mentis*, *& cordis contritionem &c. cohibeat ſe præterea à ludis & à ſpectaculis Sæculi*, *qui perfectam vult conſequi gratiam remiſſionis*. S. Pacianus Ep.3. ad Sympronianum circà medium, loquens de Pœnitententibus dicit eis *imperari ſolitum carnis interitum*, *JUGES lacrymas, & gemitus SEMPITERNOS*, quales certè fuerunt lacrymæ, & gemitus eorum, quos ſeveriſſimi carceris anguſtiis uſque ad mortem incluſos vidit Joannes Climacus. De his enim 5
agens gradu 5. ſcalæ Paradiſi ſic habet. *Cum ergo ad locum illum Pœnitentium*, *imò verò ad regionem lugentium veniſſem .... vidi quoſdam ex innocentibus illis reis*, *totas noctes ad uſque mane*, *ſub dio immotis pedibus ſtantes*, *& miſerabiliter cum ſomno*, *& naturâ luctantes ..... alios qui manus poſt terga ſceleratorum more revincti*, *vultus alto terrore confuſos humi defigebant ... ſedebant alii humi in pavimento ſuper cinerem*, *& ſaccum*, *genibuſque vultum tegebant*, *frontibus humum ferientes*. *Alii aſſiduè pectus tundebant*, *alii ſe ipſos diverberabant .... erat ibi videre afflictos*, *& captivos*, *totâ die contriſtatos incedere*, *olentibus*, *& corruptis*, *putrefactiſque corporis cicatricibus*, *ut*

qui

qui nullam corporis curam haberent ..... nec apud illos audire erat, quàm hujuſmodi voces, væ væ miſeris nobis, meritò meritò, parce Domine parce .... Alii in gravi ſolis æſtu ſe cruciabant: alii frigore ſe torquebant: alii cùm modicum quid aquæ libaſſent, deſierunt, tantùm ut ne ſiti enecarentur: alii cùm panem guſtaſſent dumtaxat, illum rurſus ab ſe reiiciebant, ſe indignos dictitantes, qui cibum humanum ſumerent, qui beſtiarum opera exercuiſſent ... Qualis autem erat illius loci aſpectus? tota domus obſcura & tenebricoſa, tota olens & fœtens, tota ſordida & ſquallida: carcer enim, & damnatorum ergaſtulum non immeritò appellata eſt. Hoc autem loco uſque ad mortem hos detentos fuiſſe refert idem Climacus cujus longiuſculam, quàm fortè velles, deſcriptionem exhibui, ut conſtet, ſeveros illos veteris Pœnitentiæ canones fuiſſe verè exequutioni mandatos, reoſque non ſolum longo, viginti & amplius annorum ſpatio, ſed perpetuò, eoque aſperrimo pœnitentiæ genere, fuiſſe verè probatos.

6 Prædictos autem Canones, quibus Pœnitentes abſtinere à thoro, à militia, aliiſque hujuſmodi monebantur, non fuiſſe quædam conſi-

conſilia regulaſque, ſed vera præcepta, quæ violare nefas eſſet, patet ex graviſſima pœna qua plectebantur traſgreſſores. In eos ſic animadvertit Concilium Aurelianenſe 3.cap.19. *Si qui pœnitentiæ benedictione ſuſceptâ, ad ſæcularem habitum, militiamque reverti præſumpſerit excommunicatione plectatur, viatico conceſſo ad exitum.* Et longè antea Conciliũ Arelatenſe 2. cap.21. *Pœnitententes, quæ defuncto viro alii nubere præſumpſerint, vel ſuſpectâ, vel interdicta familiaritate cum extraneo vixerint, cum eodem ab Eccleſiæ liminibus arceantur. Hoc etiam de viro in Pœnitentiâ placuit obſervari.*

Nec iſta unius luſtri, vel ſæculi diſcipli- 7
na fuit, ſed diutiſſimè in Eccleſia cuſtodita, ut ex allatis tam variorum temporum decretis ac ſententiis conſtat, magiſque ex iis,quæ mox afferam, palam fiet. In Pœnitentiali Romano tit.2. cap. 7. ſic adimadvertitur in Rebellem. *Anathema ſit, niſi per dignam Pœnitentiæ ſatisfactionem emendaverit, ſic conſtitutum eſt à Sancta Synodo, ideſt ſæculum relinquat, arma deponat, in Monaſterium eat, & pœniteat OMNIBUS diebus vitæ ſuæ tit. 3. cap. 21. ſi quis fornicatus fuerit ut ſodomitæ fecerunt, ... viginti annos pœniteat, quin-*

quinque ex his in pane, & aqua, & omni officio deponatur, & peregrinando finiat dies vitæ ſuæ. Tit.7. cap.5. ſi quis hominem publicè pœnitentem interfecerit, ut homicidium ſponte commiſſum dupliciter pœniteat, & NISI IN FINE non communicet tit.8. Sacerdos, qui cum filia ſua ſpirituali rem habet ab omni officio deponatur, & peregrinando quindecim annos pœniteat, poſtea verò ad Monaſterium vadat, ibique OMNIBUS diebus vitæ ſuæ Deo ſerviat. Similia leguntur apud Burchardum lib.12. cap.21., &
8 Ivonem parte 12. decreti cap.78. Burchardus autem, qui fuit Epiſcopus Vormatienſis, & Conradi Imperatoris Magiſter, Canones Pœnitentiales collegit circa milleſimum. Ivo verò qui fuit Epiſcopus Carnutenſis, ſcripſit circa finem Sæculi undecimi. In Codice manuſcripto de miraculis Sanctorum Floriani, & Florentii apud Martenen de antiquis Eccleſiæ ritibus part.2. lib.1. cap.6. art.4. hæc
9 legitur pœna impoſita parricidis. *Conſuetudine antiquà partibus interioris Franciæ uſque hodiè mos inolevit, ut quiſque propinquorem ſibi parentem gladio jugulaverit, & poſtea pœnitentià ductus ad Pontificem crimen admiſſi facinoris detulerit, ipſo decernente Pontifice, ex*
ipſo

ipſo gladió ferrei nexus componantur, & collum peccatoris, venter, atque brachia ſtrictim innectantur ex ipſis ferreis vinculis; ſicque de propria patria, & ſolo patrio expellatur. Interim quouſque Divina pietas eadem vincula ſolvi præcipiat, primùm Romæ, dehinc per diverſa Sanctorum loca, veniam criminis efflagitando peregre proficiſci cogitur. Plurima hujuſmodi vincula divina miſericordia confregit ad ſepulcrum Sancti Nicetii Lugdunenſis Epiſcopi, quibus alioquin perpetuò vinciendus fuiſſet parricida.

Apud Bollandum Aprilis 19. hanc habes 10
epiſtolam ſcriptam à Joanne Magalonenſi Epiſcopo, pro quodam Bernardo pœnitente, juſſoque per laborioſam peregrinationem, ſua crimina expiare. *Joannes Dei gratiâ Magalonenſis Epiſcopus, omnibus Eccleſiæ Catholicæ Rectoribus ſubjectis, æternam in Domino ſalutem. Notum ſit omnibus vobis, quòd Bernardo præſentium latori, talem pœnitentiam pro peccatis ſuis horribilibus injunximus, quòd uſque ad ſeptem annos, nudis pedibus incedat, camiſiam non ferat, OMNIBUS diebus vitæ ſuæ: quadraginta dies ante Natale Domine in cibis quadrageſimalibus jejunet; quartâ feriâ à carne &*

ſagi-

Digitized by Google

ſagimine abſtineat : ſextâ feriâ præter panem & vinum nihil comedat : in omni ſexta feria Quadrageſimæ & quatuor temporum, præter aquam nihil bibat : omni ſabbato, exceptis ſolemnibus diebus, & niſi ægritudo interceſſerit, à carne & à ſagimine abſtineat. Quapropter clementiam veſtram in Chriſto ſuppliciter exoramus, quatenus pro redemptione animarum veſtrarum, præfatum Pœnitentem, quia pauperrimus eſt, in victualibus & veſtibus miſericorditer ſuſtenteris, orationibus ſublevetis, de pœnitentia etiam ſibi injuncta ſecundum quòd ratio exigit, benigne relaxetis. Data Magalone anno ab incarnatione Domini MCLXX. Menſe Octobri.

11 Nec ita ſeverè, in vulgus hominum dumtaxat, vileſque perſonas, qualis erat exul Bernardus à prædicto Epiſcopo commendatus, animadverſum fuit. Siquidem nec ipſis Principibus viris, ſummiſque Imperatoribus, parcitum volvere Patres. Celebris eſt illa Chryſoſtomi ad Sacerdotes adhortatio homil. 83. in Matthæum, ut à ſacri Altaris communione quoſvis indignos expellant, & ad locum pœnitentium amandent. *Non parva vobis imminet pœna, ſi quem aliqua improbitate teneri ſcientes, ei hujus menſæ participationem*

per-

permittitis. Sanguis enim ejus de manibus veſtris requiretur. Si Dux igitur quiſpiam, ſi Conſul ipſe, ſi qui Diademate coronatus indignè adeſt, cohibe, coerce, majorem tu illo habes poteſtatem. Celebrius eſt illud Ambroſii factum ab Ec- 12
cleſiæ foribus expellentis Theodoſium, nec antea abſolventis, quam pœnitentiâ ſatis longa & publicâ commiſſum facinus deflevit. Quod Sancti Antiſtitis factum alii multi Eccleſiarum Paſtores Sacerdoteſque imitati ſunt. Edgaro Angliæ Regi, qui Virginem Deo conſecratam violaverat, quamvis ſponte confeſſo, & veniam ſummâ cum animi, corporiſque demiſſione, nec ſine multis lacrymis expetenti *ſeptennem pœnitentiam indixit* Sanctus Dunſtanus Epiſcopus, ut refert Capgravius; nempe, *ut in hoc toto ſpatio, coronam regni non geſtaret, jejunium in hebdomada biduanum tranſigeret, theſauros ſuos pauperibus latè diſpergeret, ſuper hoc ſacraudis Deo Virginibus monaſterium Septoniæ fundaret.* Primarium 13
quemdam Comitem in exercitu Othonis Imperatoris confeſſum culpas ſuas & præſertim peccatum perjurii, compulit S. Romualdus Abbas monaſticam vitam ſuſcipere, nempe perpetuam pœnitentiam. Quin ipſi Othoni

ejuſdem perjurii reo, injunxit, ut nudis pedibus ad Sancti Michaelis Arcangeli Templum in Gargano Apuliæ Monte ſitum ſe conferret, curaretque, cùm poſſet, imperium abdicare, & monaſticum ipſe quoque habitum ſuſcipere, ut refert Cardinalis Baronius
14 anno 996. Brevior quidem pœnitentia, ſed forte gravior ſubeunda fuit Henrico tertio Imperatori, ut veniam à B.Gregorio ſeptimo impetraret. Hanc ergo ut obtineret *in Italiam venit* (inquit Lambertus apud Card. Baron. an. 1077. *& Caſtellum in quo morabatur Pontifex, ingreſſus eſt, ſed derelicto omni comitatu ſuo, depoſito cultu regio, nihil præferens regium, nihil oſtentans pompaticum, nudis pedibus, jejunus mane uſque ad veſperam Romani Pontificis ſententiam præſtolando. Hoc ſecundo die, hoc tertio die fecit. Quarto demum die in conſpectum ejus admiſſum, poſt multas hinc inde dictas ſententias, his poſtremo conditionibus excommunicatione abſolutus eſt. Ut die & loco, quemcumque Papa deſignaſſet, evocatis ad generale Concilium Theutonicis Principibus præſto eſſet, ipſo Papa, ſi ita expedire videretur, cognitore cauſarum aſſidente, & ad ejus ſententiam, vel retineret regnum, ſi objecta purgaſſet, vel*

æquo

æquo animo amitteret .... uſque ad eam autem diem, quâ cauſa ejus legitimè diſcuſſa terminaretur, nulla regii cultus ornamenta, nulla regiæ dignitatis inſignia ſibi adhiberet, nihil circa rerum publicarum adminiſtrationem, juxta conſuetudinem ſuo jure ageret.

Et quidem hæc à Reipublicæ admini- 15
ſtratione, ac regimine ceſſatio tam certa & inviolabiliis Pœnitentium pœna fuit, ut, cùm Francici Imperii Proceres Ludovici pii regimen ægre ferrent, & in filium Lotharium transferri cuperent, ipſi Imperatori perſuadere conati ſunt, debere ſe propter graviſſima, quæ commiſerat in publica adminiſtratione delicta, publicam agere pœnitentiam; quam ille pro pietate qua præditus erat, petere non recuſavit: non enim niſi petenti concedebatur. Facti ſeriem narrat Cardinalis Baronius ad ann. 833. ex Franciæ Annalibus: ex eo autem optime conjicitur, quàm ſevera cum quovis genere Pœnitentium tunc eſſet Eccleſia. Igitur Epiſcopi apud Compendium congregati, *legationem ad Imperatorem miſerunt, ut eum de ſuis reatibus admoneret, quatenus certum conſilium ſuæ ſalutis caperet*, (nempe pœnitentiam). *Quo-*

rum legatorum conſiliis libenter aſsenſum præbuit, ſpatium poſcit, diemque conſtituit, qua de ſalubribus eorum monitis certum eis reſponſum redderet. Cum autem præſcriptus inſtaret dies, ſacer idem conventus unanimiter ad Ludovicum perrexit, eumque diligenter de quibus Deum offenderat & Sanctam Eccleſiam ſcandalizaverat, ac populum ſibi commiſsum perturbaverat, admonere, & cuncta illi in memoriam reducere curavit. Ille vero, eorum ſalutiferam admonitionem & dignam congruamque exaggerationem libenter amplectens, promiſit, ſe illis in omnibus acquieturum ſalutari conſilio, & ſubiturum remediale judicium &c. Veniens igitur idem Dominus Ludovicus in Baſilicam Sanctæ Dei Genitricis, adſtantibus Presbyteris, Diaconibus, & non parva multitudine Clericorum, præſente etiam Domino Lothario filio ejus, ejuſque Proceribus atque totius populi generalitate, quotquot videlicet intra ſui ſeptum eadem continere potuit Eccleſia, & proſtratus in terram ſuper cilicium ante ſacroſantum Altare, confeſsus eſt coram omnibus, miniſterium ſibi commiſsum ſatis indignè tractaſse, & in eo multis modis Deum offendiſse & Eccleſiam Chriſti ſcandalizaſse, Populumque per ſuam negligentiam multifariè in

per-

perturbationem induxiſſe & ideo ob tantorum reatuum expiationem, publicam & Eccleſiaſticam ſe expetere velle dixit pœnitentiam, quo miſerante Domino, per eorum miniſterium, & adjutorium proſpere mereretur abſolutionem tantorum Criminum, quibus Deus ligandi atque ſolvendi intulerat poteſtatem. Quem etiam iidem Pontifices, utpote Medici ſpirituales ſalubriter admonuerunt, ut apertè confiteretur errata ſua.... Verùm poſt hujuſmodi admonitionem profeſſus eſt ſe in omnibus iis præcipue deliquiſſe, unde à memoratis Sacerdotibus fuerat familiariter ſive verbis ſive ſcriptis admonitus: ſuper quibus chartulam ſummam reatuum ſuorum, unde illum ſpecialiter redarguerant, continentem ei dederunt. Enumeratis inde præcipuis ejus delictis, contra Rempublicam commiſſis, & in ea charta contentis, quam ille manibus acceptam legit, ſic idem hiſtoricus proſequitur. *Poſt hanc verò confeſſionem, chartulam ſuorum reatuum & confeſſionis ob futuram memoriam Sacerdotibus tradidit: quam ipſi ſuper Altare poſuerunt, & deinde cingulum militiæ depoſuit, & ſuper Altare collocavit, & habitu ſeculi ſe exuens, habitum Pœnitentis per impoſitionem manuum Epiſcoporum ſuſcepit, ut poſt tantam*

 ta-

talemque pœnitentiam ultra ad militiam ſecularem non redeat. Hactenus Scriptor Annalium Francicorum. Qui res geſtas Ludovici tunc temporis conſcripſit, refert (ut videre eſt apud cit. Baron.) mentem Epiſcoporum prædictorum fuiſſe, ut Ludovicus *irrevocabiliter arma deponeret*, quia videlicet, hæc erat lex pœnitentium, ut non ſolum per viginti, & amplius annos, ſed in perpetuum à rebus ſibi vetitis abſtinerent. Addit idem, fuiſſe Ludovicum poſt ſuſceptam pœnitentiam, *ſub tectum quodam retruſum*, ut ibi velut in carcere, pro more eorum temporum, ſuis culpis lugendis curandiſque vacaret.

16 Sed hanc pœnitentiam Epiſcopi fortaſſe ſeveriores quàm par eſſet, Ludovico impoſuerunt. Quam modò ſubjiciam Alexander tertius Pontifex cæteroqui mitiſſimus impoſuit Henrico ſecundo Angliæ Regi, ob necem Sanctiſſimo Archiepiſcopo Thomæ quamvis non ab ipſo, nec ejus imperio, ſed, eo occaſionem dante, illatam. Eam breviter deſcribit Aurelius in Epitome Annalium Cardinalis Baronii ad ann. 1072. hoc modo. *Abductus dein à Legatis eſt in Templũ* (nempe Henricus) *pro cujus foribus aliquando perſtitit in genua* *pro-*

provolutus. Tum imperatum illi eſt, ducentos uti milites per annum aleret Hieroſolimis, trecentis cuique aureis in ſtipendia perſolutis. Leges adverſus Eccleſiaſticam libertatem conditas abrogaret, ademptas Cantuarienſi Eccleſiæ poſſeſſiones redderet. In Hiſpaniam ipſe cum exercitu, aut in Paleſtinam (ſi Pontifex juſſerit) adverſus Saracenos pergeret, tum ſecretò jejunia, elemoſinæ, & alia quædam pietatis ei opera demandata. Pro his porrò bonâ fide præſtandis non Rex modò Pater, ſed filius quoque, Patre ante quàm ea impleret, decedente, jure jurãdo cautũ eſſe voluerunt. I nunc, & nega, ſi potes, fuiſſe viginti & amplius annorum pœnitentiam impoſitam à veteri Eccleſiâ, nempe ab ea, quæ, ut tot eaque certiſſima teſtimonia oſtendunt, tam ſæpe impoſuit perpetuam, quæque tam ſeveras Pœnitendi leges Regibus ipſis & Imperatoribus à quarto ſeculo uſque ad duodecimum ſtatuit.

D. D. Ego verò in eadem perſiſto ſententiã, iterumque nego: ſed audi quid negem, non quidem impoſitam ſubinde fuiſſe viginti & amplius annorum pœnitentiam, ſed factam nego & quidem frequenter, veluti rem conſuetam. Quod enim appellavi calumniam,

id eſt, nempe Eccleſiam *conſueviſſe* exercere de facto & probare tandiu Pœnitentes. Non enim quod ſemel fit, conſuetudo eſt.

D. R. Non quidem. Sed ea quæ narravi tot diverſorum temporum facta, conſuetudinem indicant.

D. D. Nec iſtam, ſaltem qualem putas, nempe conſuetudinem aut ita univerſalem, aut ita ſeveram. Sed velim, audias me,nec interpelles, ut audivi te tam longa oratione declamantem.

17. Ut autem incipiam unde ipſe incepiſti: novi ego quoque Canones utriuſque Gregorii nempe Taumaturgi atque Nyſſeni, Baſiliique: ſed an ipſorum ſint ſaltem omnes, non eſt ſatis certum. Utque aliquid dicam de Baſilianis, qui celeberrimi habentur, plura ſunt quæ difficultatem ingerunt. Duo afferam. Can.22. Fornicatoribus quadriennium pœnitentiæ imponitur: can. vero 39. iiſdem imponitur ſeptennium. Non igitur uterque Baſilii canon eſt, & forte neuter. Excuſatio enim Balſamonis dicentis ptimum Canonem afferri à Baſilio ut Canonem antiquorum, alterum ut ſuum, frivola eſt. Cum enim id facit Baſilius,bene diſtinguit unum ab altero,

ut

ut legenti reliquos Canones conſtabit: hic autem eodem modo effertur uterque. Primus is eſt. *Ei autem qui mulierem, vel vi, vel clam, à ſe vitiatam habet, neceſſe eſt fornicationis pœnam imponere. Eſt autem in quatuor annis præfinitum fornicatoribus ſupplicium. Oportet autem eos anno primo à precibus expelli, & ipſos deflere ad fores Eccleſiæ: ſecudo autem ad auditionem admitti: tertio ad orationem, quarto ad congregationem cum populo, abſtinens ſe oblatione, deinde ei permitti boni communionem.* Canon vero 59. eſt is. *Fornicator ſeptem annis cum ſanctis non communicabit, duobus deflens & duobus audiens & duobus ſubſtratus & in uno ſolo conſiſtens, octavo autem ad communionem admittatur.* Quid in hoc, aut in illo, quod innuat, unum recitari, ut non proprium, alterum, ut proprium canonem? certè nihil.

Alterum illud eſt, quod idem S.Præſul, can. 58. quindecim annorum pœnitentiam adulteris imponit: Concilium verò Conſtantinopolitanum, celebratum in Tullo can.87. mentionem faciens ejuſdem Baſilii, adulteris, & quidem peſſimis, utpote ineuntibus, uxore ſuperſtite, alterum matrimonium, ſolum ſeptennium indicit. Verba canonis ſunt hæc.

Quæ

Digitized by Google

Quæ virum reliquit adultera, ſi ad alium ſe contulit, ſecundum ſacratum Baſilium, qui hoc ex Propheta Jeremia colligit &c. & qui reliquerit legitimam uxorem, & aliam duxerit, ex Domini ſententiã eſt adulterii judicio obnoxius. A Patribus noſtris ſtatutum eſt, ut qui ſunt hujuſmodi, annum defleant, biennio audiant, triennio ſubſternantur, & ſeptimo cum Fidelibus conſiſtant, & ſic oblatione digni habeantur, ſi cum lacrymis pœnitentiam egerint. Si Patres qui præceſſere Concilium hoc, inter quos primom locum doctrinã, & authoritate in Eccleſia præſertim Græcà obtinebat Baſilius, cujus hoc ipſo in loco mentio ſit, ſolum ſeptennium peſſimis adulteris indixere, jam falſum eſt à Baſilio quibuslibet adulteris ſtatutos quindecim annos Pœnitentiæ.

Sed hæc obiter dicta volo, cæterum non repugno veterum canonum aſſertoribus. Fuerint eorum auctores ii, quorum nomen præferunt: ii qui nomine Petri Alexandrini inſcribuntur, Petri fuerint, Gregorii Thaumaturgi qui ejus nomine, Nyſſeni qui nomine Nyſſeni, Baſilii, qui nomine Baſilii, quique aliorum Pontificum nomine gloriantur, ipſorum verè fuerint; adhuc tamen nego, tam

lon-

longas Pœnitentias fuiſſe communiter Pœnitentibus impoſitas, ita ut verè fuerint executioni mandatæ.

18 Eas certè prima Eccleſiæ ætas nec impoſuit, quod non negant eruditi; &, ſi negas, oſtendo. Quos enim Apoſtoli reliquere canones, aut conſtitutiones ad pœnitentiam pertinentes, quæ fuerunt à Clemente Papa collectæ, ſunt plenæ amoris & benignitatis: tantumque abeſt, ut facile expelli, aut expulſos diu plecti Pœnitentes voluerint, ut perſæpe moneant, & mandent, recipi eos perbenignè, & cum eadem benignitate curari. Id monentur Epiſcopi can. Apoſt. 51. & ſignificantiùs lib.2. Conſtitutionū Apoſtolicarū cap.18. 28. 43.44.45. 59. 60. ut niſi perſpectum id omnibus eſſet, allegatis prædictis Conſtitutionibus oſtenderē. Cap.19.ejuſdem libri, ſolemnis pœnitentiæ in eas plures ſtationes diſtributæ quædam lineamenta cernuntur, ſed ejus pœnitentiæ, quæ nec longa eſt,nec admodum ſevera. *Cum aliquem peccaſſe cognoveris* (inquiunt) *dolens jube eum foras ejici & exeunte illo doleant Diaconi, ac quæſitum detineant extra Eccleſiam, ingreſſique pro eo te rogent: etenim pro peccatoribus Salvator Patrem rogavit, ut in*

Euan-

Euangelio eſt ſcriptum, Pater dimitte eis non enim ſciunt quid faciunt. Tunc tu jubebis illum intrare, & expendens an pœniteat, & in Eccleſiam omnino recipiatur, afflictum illum diebus jejuniorum pro ratione peccati hebdomadas duas, vel tres vel quinque, vel ſeptem dimitte, dicens ei quæcumque convenient ad peccatorem corripiendum, & increpatum doce & admone, ut maneat apud ſe, & humiliter ſe gerat, rogetque Deum, ut ſit ſibi benignus. Non hic multorum annorum pœnitentia, ſed paucarum hebdomadarum imponitur, quamvis pro delicto graviſſimo & publico, quod ſolum tunc, ut ferè omnes aſſerunt, ſolemni pœnitentia vin-
19 dicabatur: quare Paulus, quamvis ſatis multos, & quidem pro gravibus delictis redarguat in ſuis epiſtolis, ſolum inceſtuoſum publicum hoc pœnæ genere punivit, longiùs quidem quàm per paucas hebdomadas, nempe per annum, quia delictum fuerat non graviſſimum ſolùm & publicum, ſed vix auditum inter Gentes, &, pro eo præſertim tempore naſcentis Eccleſiæ, maxime ſcandaloſum. Eumque ipſum fortaſſe non tandiù caſtigaſſet, ſi ejus veram pœnitentiam & emendationem priùs cognoviſſet: ſtatim enim ac

de

de ea certior factus fuit, eum abſolvi mandavit ſecundâ ad Corinth. 2. per ea verba (ut Patres interpretantur) *ſufficit illi qui hujuſmodi eſt, objurgatio hæc quæ fit à pluribus: ita ut è contrario magis donetis & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitiâ abſorbeatur qui hujuſmodi eſt. Propter quod obſecro ut confirmetis in illum Charitatem.*

Objici poteſt canon 24. Apoſtolorum. *Laicus ſemetipſum abſcindens, annis tribus communione privetur, quia vitæ inſidiator extitit.* Sed veſter Juenin tom. 2. diſſer. 6. quæſt. 8. cap. 4. art. 1. reſpondet hos canones non eſſe verè Apoſtolicos. Quia verò Cardinalis Bellarminus de ſcript. Eccl. in Clemente aſſerit primos quinquaginta eſſe legitimos & Apoſtolicos, ideo dicendum eſt, eo tempore fuiſſe valde frequens illud peccatum, ac proinde cum eſſet etiam valde grave, fuiſſe ſpeciali ſeveritate caſtigandum, nempe eâ pœnitentiâ, quæ viginti annorum non fuit, ſed ſolum trium, eaque tota conſiſtens in ſola privatione communionis. 20

Benignam hanc praxim, qui ſequuti ſunt, per duo & amplius ſæcula, Eccleſiarum Paſtores, non admodum immutarunt, itaut 21

de

de aliquorum criminum pœnâ vel nihil ſtatuerint, ſtatuendam videlicet pro ratione temporum, locorum, lapſorumque ab ipſis Miniſtris Sacramentorum, vel longè mitiorem, quàm fuerit poſtea ſtatuta, ut fatetur idem Baſilius ad Amphilochium can. 18. *De lapſis Virginibus, quæ vitam in honeſtate Domino profeſſæ ſunt, deinde ſua pacta conventa infirmarunt, Patres quidem clementer & leniter in eorum qui labuntur infirmitatem ſe gerentes, eſſe admittendas ſanxerunt poſt annum*, quam pœnam ipſe extendit ad annos quindecim. Et can. 30. *De his qui rapiunt, canonem quidem antiquum non habemus, ſed propriam ſententiam proferimus, ut ipſi, & qui cum eis rapiunt, tribus annis ſint extra orationes*. Quare jure optimo Morinus lib. 2. cap. 21. num. 7. aſſerit, *pœnas criminibus impoſitas, ante Novatum breves admodum fuiſſe, & nonnunquam ſceleratiſſimis hominibus, pacem, & communionem certis de cauſis, nullâ imperatâ exteriori pœnitentiâ ſtatim eſſe redditam*.

22 Igitur tertiò ſæculo ſeverius cœpit eſſe forum Eccleſiæ. Plures fuere cauſæ: ea prima, ut Montaniſtis, & Novatianis, veniam delictis præſertim majoribus negandam aſſeren-

rentibus, Eccleſia mediam inire viam videretur, nec omninò veniam negans, nec ſtatim indulgens, ſed poſt exactum ſatis longum pœnitentiæ curriculum. Altera cauſa fuit Hæreticorum præſertim Gnoſticorum, aliorumque ipſis ſimilium fœdiſſima vivendi ratio, quâ nomen Chriſtianum ita viluerat apud Ethnicos, non ſatis diſtinguentes hæreticos à Catholicis, ut nulla eorum ſecta magis fœda videretur. Inſtituenda igitur fuit à Catholicis durior diſciplina, per quam ab hęreticis diſcriminarentur, dignoſcique facilè poſſet vera Chriſti Fides, & ſincera Religio. Tertia tandem cauſa ea fuit, quod (ut innuit Innocentius in Epiſt. ad Exuperium, quam allegavimus diſp.3. num.6.) multi abutebantur Eccleſiæ benignitate, ac de reconciliatione ſecuri facilè labebantur in perſecutionibus, ut vim tormentorum evaderent. Id ne tam facilè contingeret ſeveris legibus opus fuit, quibus Fideles à lapſu abſterrerentur.

Quamvis autem omnes Orbis terra- 23
rum Eccleſiæ, in duobus ſanctiſſimè convenerint, nempe in eo quòd tota pœnitentia ſolemnis in quatuor illas ſtationes alibi deſcriptas diſtribueretur; & rurſus in eo quod pęniten-

Digitized by Google

nitentibus quamvis reconciliatis aliqua etiã licita prohiberentur, ne videlicet relaberentur; aliqui tamen Epiſcopi, alia multa addiderunt, quibus debitum modum exceſſerunt: nec exceſſere tantum, ſed *in immenſum* ut ipſe Morinus dicit lib. 4. cap. 10. n. 1.

Exceſſerunt aliqui primò, quòd aliquibus gravioribus delictis, nec in morte veniam dandam putaverunt, quorum errorem, prę̃teritis noſtris diſputationibus rejecimus.

24 Exceſſerunt aliqui ſecundò, quòd nimis facilè quorumdam criminum reos, ſanctiſſimæ Euchareſtiæ uſu privarunt in perpetuum, quorum rigorem correxit prius Concilium Nicenum eo canone *de his qui recedunt ex corpore antiqua regula obſervabitur, ut neceſſario vitæ ſuæ viatico non defraudentur*, & poſtea Siricius, Innocentius, aliique quorum decreta alibi afferimus.

25 Exceſſerunt aliqui tertiò, quod hæc Sacramentà, ſin minus negarent, differrent nimis. Hos redarguit præter Soterum, & Sylverium alibi allegatos, Leo Ep. 87. ad Epiſcopos per Viennenſem Provinciam conſtitutos. *Nulli Chriſtianorum facile Communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium*

Sacer-

Sacerdotis, quod in magni reatus ultionem, invitus, & dolens quodammodo debet inferre animus vindicantis. Cognovimus enim pro commiſſis, & levibus verbis, quoſdam à gratia Communionis excluſos, & animam, pro quā Chriſti Sanguis effuſus eſt, irrogatione tam ſævi ſupplicii ſauciatam, & inermem quodammodo, exutamque omni munimine, diabolicis incurſibus, ut facilè caperetur, objectam.

Exceſſerunt aliqui quartò, quòd nimis 26 graves pœnitentias impoſuerunt, ut publicam occultorum etiam criminum confeſſionem, aut ſaltem pœnitentiam (de quo diſp.6. & 7. actum eſt) aliaque hujuſmodi ferè humanis viribus majora.

Exceſſerunt aliqui quintò, quòd ægrè 27 ferrent, ſubditos ſuos ſeveriùs à ſe caſtigatos ad alios confugere, à quibus humaniùs tractarentur: quo rigoris exceſſu videntur peccaſſe Lemovicenſis Concilii Patres, auſi Romanum Pontificem damnare, quòd *injuſtè* (ut ipſi dicebant) *abſolveret, quos ipſi ligabant*, aliique aliarum regionum Epiſcopi, quorum perpetua fuit ea querimonia, nimis facile eſſe ad Romanam Sedem perfugium, nec Pœnitentibus ad eam confugientibus juſto labo-

re ſtare remedium. Rigidioribus hujuſmodi Paſtoribus accenſendus eſt Abbas quidam, Petri Bleſenſis ſtylo juſtiſſimè confixus in opuſculo *de pænit. & ſatisfact.* qui, ut ſubditos ſuos in officio contineret, apud ſe tantùm eos juſſerat confiteri culpas ſuas, nempe apud hominem vobis ſimillimum, ſeveriſſimum videlicet, nec ſatis fidelem ſecreti ſibi commiſſi cuſtodem. Prædictam Petri Epiſtolam, quo etiam nomine dictum opuſculum circumfertur, fortè alibi afferam.

28 Exceſſerunt aliqui demum, quòd injunctam canone pœnitentiam in nullo fere eventu condonandam, aut minuendam putarunt. Is fuit rigor eorum Epiſcoporum, quorum meminit Cyprianus Ep.54. ægre ferentium, quòd lapſis in primo Fidei certamine, ſed lapſum ſuum ex corde deteſtantibus, volentibuſque in altero certamine, quod inſtabat, fortiùs pro Fide dimicare, ſtatim venia concederetur. *Quòd ſi de Collegio aliquis extiterit, qui urgente certamine, pacem fratribus, & ſororibus non putat dandam, reddet ille rationem in die judicii, vel importunæ cenſuræ, vel inhumanæ duritiæ ſuæ.* Eodem ſpiritu importuni rigoris à recto tramite ve-

ræ virtutis abducti quidam alii ejuſdem Africæ Epiſcopi, ut pariter ex Cypr. habetur ad Antonianum ſcribente, Cornelio Romano Pontifici ſuccenſuerunt, quod Trophimum Epiſcopum, Fidei paulò ante deſertorem cum populo ſuo, ſed poſtea cum eodem reducem ad Eccleſiam, ex cauſis, quas infra recenſebimus, excepit ſtatim, abſolutumque Communioni ſaltem laicali reſtituit. Neſcio an idem fuerit error Luciferi Epiſcopi Calaritani, dum juxta aliquos Scriptores, (quamvis ab aliis vindicetur) nimis pertinaciter obſtitit Alexandrini Concilii Patribus, qui conſulto, imò approbante Romano ipſo Pontifice, lapſos quoſdam Epiſcopos, jam pœnitentes, ſedibus ſuis, quibus per canones dejecti erant in perpetuum, ex juſta cauſa ſtatim reſtituendos judicarunt.

His Epiſcoporum, in augenda, tuendaque diſciplina Pœnitentiæ, tam multis exceſſibus palam fit primò, non omnes omnium veterum Eccleſiarum, aut Epiſcoporum pœnitentiales ritus laudandos eſſe. Palam fit ſecundò, nec omnes fuiſſe communiter receptos ab Eccleſia, quæ errare non poteſt. Quamvis ergo tam longam pœnitentiam ali- 29

quis Epiſcopus nimis fortaſſe ſeverus impoſuerit, non indè ſequitur, eam fuiſſe communiter impoſitam ab Eccleſia, quod ſolùm nego.

30 Sed, inquies, eam imponiit Canones utriuſque Gregorii, Baſiliique, quos nemo ſapiens erroris redarguat, cùm præſertim eorum Canones univerſa Eccleſia receperit laudaritque. At undè habes quòd univerſa Eccleſia, aut Romana eos receperit? forte recepit Oriens, ſed is, ut Sozomenus refert lib.7. cap.16. canonem Nectarii munus Penitentiarii abrogantis recepit: Nectarii verò prædictum canonem, nec ipſe Socrates lib.5. cap.9. ſatis approbat. Adderet alius, audacior quam ſim ego, & undè habes non erraſſe utrumque eum Gregorium, Baſiliumque? cum Cyprianus, vir æque Sanctus, veniam aliquibus, etiam in morte ex nimio rigore negarit, erraritque iterum in ea celebri Baptiſmatis controverſiã, nec ſolus errarit, ſed cum innumeris aliis Aphricæ, Ægypti, Aſiæque Epiſcopis, inter quos erat Dionyſius Alexandrinus, quem Card. Baronius vocat *illius ſæculi ornamentum confeſſione, celebrem, eruditione clariſſimum?* Ego tamen, eos Gregorios,

31 Baſi-

Baſiliumque erraſſe nego, ſed nego, tam longam ab eis pœnitentiam imponi. Proponunt illi quidem eam pœnitentiam, ſed non imponunt. Quæ eſſet imponenda volenti penitùs ſatisfacere, totamque pœnam extinguere, oſtendunt, non autem docent, eam pœnitus debere in vindicandis culpis cuſtodiri cenſuram, eam menſuram temporis, ac laborum retineri. Baſilius can. 13. ſic loquitur *Cædes in bellis factas Patres pro cædibus non reputavere, ut mihi videtur, ignoſcentes iis, qui pro pudicitia, & pietate decertant. Recte autem forte habet conſulere, ut qui ſunt manibus non puris, ſolà trium annorum communione abſtineant*. Hæc verba utique præceptum, aut obligationem non ſonant, uti neque Canon 18. de lapſis virginibus, 30. de furibus, & 73. de Apoſtatis. Simili modo aut ſimili ſenſu loquutum in reliquis, par eſt credere. Hinc nec ipſa Eccleſia Græca eos ſervavit, ut fatetur Balſamon, Gæcus ipſe, & prædictorum Græcorum Canonum interpres: Siquidem poſt Canonem Baſilii 58. & 59. quibus tam longa pœnitentia imponitur adulteris, & fornicariis, ita habet. *Quæ præſentibus duobus canonibus decreta ſunt, quod ad dictionem attinet, clariſ-*

ſima ſunt, ſed tamen quoad praxim attinet, ſunt omninò difficillima. NEMO enim eâ ratione curatur, quæ illic continetur, & niſi eſſet inenarrabilis clementis Dei miſericordia, omnis caro periiſſet.

32 Quod attinet ad alios canones Pœnitentiales, negandum ſimiliter eſſe videtur, omnes in univerſum receptos eſſe, tanquam leges & præcepta, quæ eas tam longas, tam plenas, labore, & pudore pœnitentias omnino imponi mandarent, ſed potius tanquam regulas quaſdam inſtructioneſque, ex quibus Confeſſor cognoſceret majorem, aut minorem culparum gravitatem, & meritum. Regulas eos vocat S. Leo epiſt. 90. ad Ruſticum Epiſcopum Narbonenſem. Sic etiam eos appellat Concilium Vormatienſe, celebratum anno 868. Nec aliter ſenſiſſe videtur Hieronymus relatus in decreto de pœnit. diſt. 1. ubi ſic. *Menſuram autem temporis in agenda pœnitentia idcirco non ſatis apertè præfigunt Canones pro unoquoque crimine, ut de ſingulis dicant, qualiter unumquodque emendandum ſit, ſed magis in arbitrio Sacerdotis intelligentis ſtatuunt, quia apud Deum non tam valet menſura temporis, quàm doloris, nec abſtinentia tantùm ciborum,*

quam

quàm mortificatio vitiorum. Propter quod ipſa
tempora pœnitentiæ, pro fide & converſione pœ-
nitentium abbrevianda præcipiunt, & pro ne-
gligentiâ protelanda. Extant tamen pro quibuſ-
dam culpis pœnitentiæ modi impoſiti, juxta quos
cæteræ perpendendæ ſunt culpæ, cùm ſit facile
per eoſdem modos vindictam & cenſuram Cano-
num æſtimare. Hinc Guglielmus Epiſcopus
Pariſienſis, celebris & præſtans ſui ævi Theo-
logus lib. *de pœnit. ſacram.* eoſdem Canones
Pœnitentiales ſecum expendens, *Videntur*
(inquit) *eſſe exemplaria ſatiſfactionum pœniten-*
tialium, ut juxta illas, vel cùm viſum fuerit, ali-
qua de his, aut etiam ipſæ met pœnitentiæ cano-
nicæ Pœnitentibus injungantur. Idem ſentit 33
Bail in exam. Pœnitentium part. 3. quæſt. 8.
ubi ſic. *Quamvis autem aliquando obligati fue-*
rint Sacerdotes ad diſcendos iſtos Canones, non
ideo factum eſt, ut in foro ſecreto pœnitentiæ pœ-
nas per eos peccatis decretas imponerent, ſed ma-
gis, ut gravitatem peccati Pœnitentibus notam
facerent, indicando eis quam graviter in foro
mixto punirentur, ſicut nonnunquam ſolemus in
foro pœnitentiali gravitatem certorum peccato-
rum docere, dum dicimus, hæc ſuſpendio aut igne
punienda fore, ſi in foro externo probarentur ju-

 ridicè.

ridicè. Conſentit Suarius in 3. par. tom. 4. diſp. 38. ſect.4. *Erant* (inquit) *ſolùm regula directiva, ut illam Confeſſores ſequerentur, quantum expedire cenſerent*.

34 Nec facit, quòd traſgreſſoribus e. g. nubentibus poſt acceptam pœnitentiam, vel habitum dimittentibus, redeuntibuſque ad communem vitam, infligeretur quandoque pœna graviſſima: Id enim probat ad ſummùm aliquos Canones habuiſſe vim gravis præcepti, non autem omnes,& præſertim eos, qui Pœnitentibus tam longam pœnitentiam imponi volebant. Dixi *ad ſummùm*, quia re verà nec illud hoc argumento probatur, ſiquidem prædictæ pœnæ non infligebantur tanquam tranſgreſſoribus canonum, ſed tanquam publicæ fidei, aut etiam voti contemptoribus, ut graviſſimè puniuntur Apoſtatæ religioſi, & ineuntes poſt ſolemne votum caſtitatis matrimonium, non quia extra monaſterii ſepta legeſque vivant, id enim innocenter faciunt ſeculares, nec quia contrahant matrimonium; quod utique non eſt per ſe illicitum, ſed quia id faciunt poſt votum, quo ſe id minimè facturos promiſere: promittebant autem ſuſcipientes ſolemnem pœniten-

nitentiam eam Pœnitentium diſciplinam cuſtodire. Hinc Sanctus Leo ad Ruſticum Narbonenſem, interrogatus de Monacho, qui factus fuerat miles, reſpondet. *Qui relictâ ſingularitatis profeſſione* (ideſt promiſſione manendi ſolitarium, & ſine conjuge) *ad militiam, vel ad nuptias devolutus eſt, publicæ pœnitentiæ ſatisfactione purgandus eſt, quia, etſi innocens ſit militia, & honeſtum poteſt eſſe conjugium, electionem tamen meliorem deſeruiſſe, tranſgreſſio eſt*, electionem videlicet promiſſione firmatam.

Demum vel Canones prædicti vim præ- 35
cepti haberent, juberentque omnino eas tam aſperas, vel longas pœnitentias imponi, vel id non juberent: id certum eſt, perquam paucos, & vix ullos tam ſeveræ pœnitentiæ jugum ſubjiſſe, quia circumſtantiæ temporum vel Pœnitentium, aut ſuadebant ne imponerentur, aut, ut impoſitæ relaxarentur. Quod ſi evicero, habebo quod intendo: id enim initio negavi, conſueviſſe videlicet Eccleſiam tam longâ viginti & amplius annorum pœnitentià probare de facto, & exercere Pœnitentes. Quin fortè à veritate non aberrabo, ſi dixero per paucos annum integrum in ſolemni, aut publi-

publicâ pœnitentiâ perduraſſe.

36 Et primò Clerici omnes excludebantur à publica & ſolemni pœnitentiâ, ut refert Siricius Papa epiſt. 1. *Pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum*. Secundò excludebantur milites, niſi arma deponerent, quod plerique facere non poterant, ut conſtat ex Aug. ſerm. 58. de temp. Item qui publicum magiſtratum gerebant, niſi, quod pleriſque non permittebatur, eo ſe abdicarent, ut patet ex ea hiſtoria, quam recitaſti Ludouici pii Imperatoris. Tertiò qui annum quadrageſimum non attingeret, ad eam non admittebatur, ut ſancivit Concilium Romanum ſub Sylveſtro his verbis *ne quis det pœnitentiam, niſi quadraginta annorum petenti*. Cùm autem peccata magis communia, & graviora, pro quibus ea tam longa pœnitentia ſolebat imponi, poſt illam ætatem vix committantur, nec emendatis pœnitentia imponeretur, cumque ex his pauciſſimis, qui poſt illam ætatem in ea delicta labebantur, eſſent excludendi Clerici, aliique modò recenſiti, quin & innumeri alii morbis impediti, aut paupertate, ut qui terram colunt, aliaſque hujuſmodi artes profitentur, quibus nec vires nec tempus ſuppetebat

ad

ad ea pœnitentiæ exercitia peragenda, ſequitur manifeſtè, perpaucos fuiſſe eos, quibus ea ſolemnis vel tam aſpera, vel tam longa pœnitentia potuerit imponi. Scio ante Sylveſtrum fuiſſe quandoque Juvenes ad pœnitentiam admiſſos, ſed infelici exitu,qui prædictis Sylveſtri, & aliquorum inde Conciliorum decretis occaſionem dedit.

Secundò. Ex his ipſis pauciſſimis, qui 37
poſſent canonicam pœnitentiam ſubire, plerique ejus timore abſterriti ſe tam gravi jugo ſubmittere recuſabant. Hac de re queritur Tertullianus in lib. de pœnit. cap. 10. & 11. quamvis tunc longè minor eſſet pœnitentiæ rigor. *Pleroſque* (inquit, agens de pœnitentia) *hoc opus ut publicationem ſui, aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumunt, pudoris magis memores, quàm ſalutis*. Tam multi tempore Cypriani erant illi, qui pœnitentiam detrectantes, aut indignè de Sacramento Altaris communicabant, aut ejecti ab Eccleſia ſolùm in morte cum ea reconciliari petebant, ut ab-
ſterrendis primis, multis miraculis opus fue- 38
rit, quorum ipſe meminit in lib. de Lapſis. *Quàm multi quotidie pœnitentiam non agentes, nec delicti ſui conſcientiam confitentes, immun-*

dis

dis ſpiritibus adimplentur ? Quàm multi, uſque ad inſaniam mentis excordes dementiæ furore quatiuntur ? Abſterrendis autem ſecundis, aliqui Epiſcopi, inter quos Cyprianus ipſe, neceſſarium putarint ferale illud decretum de ipſis nec in morte abſolvendis (quod improbavi diſput.3.) alterumque illud de negando ſaltem viatico ſacramento, cujus paulò ante memini, quodque confirmarunt Patres Concilii Arelatenſis celebrati paulò poſt tertium ſeculum. *De his, qui apoſtatant, & nunquam ſe ad Eccleſiam repræſentant, nec pœnitentiam quidem agere quærunt, & poſtea infirmitate correpti, petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, niſi revaluerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.* Hanc ipſam eorum temporum pravam conſuetudinem detrectandi aſperam illam pœnitentiam teſtatur Cardinalis Baronius ad ann. 314. *Lapſorum quamplures, redditâ Eccleſiæ pace, lætantes vivebant, nec de admiſſo impietatis ſcelere, moniti licèt, pœnitentiam agebant.* Idipſum contigit quarto ſeculo abeunte, & ſub initium quinti, queriturque non ſemel S.Auguſtinus *Reſiſtit*
39 *mihi* (inquit hom. 49. ex 50. hom. celebrans
Theodorii Imper. pœnitentiam) *filius peſtilentiæ,*

tiæ, & erubeſcit genu figere ſub benedictione Dei? Quod non erubeſcit Imperator, erubeſcit nec Senator, ſed tantùm Curialis? Superba cervix, mens tortuoſa. Fortaſſis, immo quod non dubitatur, propterea Deus voluit, ut Theodoſius Imperator ageret pœnitentjam publicam in conſpectu populi, maximè quia peccatum ejus celari non potuit. Et erubeſcit Senator, quod non erubuit Imperator? Erubeſcit nec Senator, ſed tantùm Curialis, quod non erubuit Imperator? Erubeſcit plebejus, ſive negotiator, quod non erubuit Imperator? Quæ iſta ſuperbia eſt? Idem cap. 81. Enchiridii, *Nam & ipſa Pœnitentia, plerumque infirmitate non agitur, quia & pudor eſt, & timor diſplicendi, dum plus delectat hominum æſtimatio, quàm juſtitia, quâ ſe quiſque humiliat pœnitendo*. Addit Ambroſius lib. 2. de Pœnitentia cap. 9. id evenire conſueviſſe, ut ii ipſi *qui pœnitentiam petebant, cum acceperant, publicæ ſupplicationis revocarentur pudore*. Quare non abs re S. Pacianus epiſt. 3. contra Sympronianum, quam tu allegaſti, poſt ea verba, *cui*, nempe Pœnitenti, *carnis interitus imperatur, cui juges lacrymæ &c.* ſubjicit, *Labor iſte PAUCORUM eſt, qui poſt caſum reſurgunt, qui poſt vulnera convaleſcunt, qui lacrymoſis*

voci-

vocibus adjuvantur, qui cum interitu reviviſcunt.

40 Poſt quintum ſeculum fieri deſiit in multis aut etiam pleriſque Eccleſiis pœnitentia quatuor illarum ſtationum, quarum ſupra non ſemel meminimus. Et quidem in tota Eccleſia Greça id eveniſſe probat tuus Juenin part. 2. diſſert. 6. quæſt. 8. cap. 4. art. 1. §. 3. pag. 660. ex his rationibus, quas non contemnes, *primò nullo in canone, qui ab eo tempore editus fuerit, ſit mentio artificialium Claſſium pœnitentiæ* (nempe prædictarum ſtationum) *Nullo in monumento reperire eſt hunc, aut ſimilem loquendi modum, qui tamen antea ubique apud Orientales obtinebat*: „ Qui hoc vel illo
„ crimine ſe commacularit, tot annis in au-
„ ditione, in ſubratione, in conſiſtentia ſubſi-
„ ſtet, deinde quod perfectum eſt conſeque-
„ tur „ *ſed ſimpliciter decernitur*: Non communicet; ſegregetur, *ut in Concilio Epheſino can. 6. in Calchedonenſi can. 4. necnon in pleriſque Trullanæ Syſnodi videre eſt. Secundò idem colligitur ex iis omnibus liturgiis, quibus Greçi à mille, & amplius annis utuntur: Iis nimirum in liturgiis nullum eſt veſtigium orationis ſpecialis, quæ ante Nectorium palam fundi ſolebat ſupra Pœni-*

Pœnitentes, nec manus impoſitionis, quæ fiebat olim ſuper eorum capita, nec dimiſſionis ſolemnis, quæ fiebat finitā eā liturgiæ parte, quæ Catechumenorum miſſa dicebatur. Tertiò idem concluditur ex libro Pœnitentiali Joannis jejunatoris, qui Coſtantinopolitano Patriarchatui labente ſexto ſeculo præfuit. Liber ille damnat quidem quorundam criminum reos ſatisfactione, quæ per decem, duodecim, quindecim annos in jejuniis in orationibus perduret, ante quam detur Euchariſtica communio, ſed nunquam edicit, ut palam omnibus peragatur injuncta pœnitentia, nunquam artificialium pœnitentiæ claſſium meminit. Fit quidem harum mentio in can. 87. Concilii celebrati in Trullo & in Scholiis Joannis Abbatis Raithu ad ſcalam S. Joannis Climaci, ut advertit Edmundus Martene de antiq. Eccl. ritibus par. 2. lib. 1. cap. 6. art. 4. num. 5. ſed fortè ambo meminere earum ſtationum, ut moris antiqui, non autem conſuetudinis, quæ tunc vigeret.

In Eccleſia Latina ea ſtationaria, ſeu ar- 41
tificialis pœnitentia diutiùs perſeveravit, nempe uſque ad ſeculum octavum, nonumque, & amplius, juxta Morinum lib. ſeptimo cap. 7. ſed fortè ſic evenit in Gallia, & finitimis

mis

mis aliquibus Germaniæ regionibus, uti etiam Romæ, præſertim cum graviſſima crimina punienda eſſent, ut patet ex exemplis ab eo adductis. Cæterùm in reliqua Eccleſia Latina, ſi rarum aliquem caſum excipias, nec in fine quarti ſeculi, & initio quinti id genus pœnitentiæ uſurpatum crediderim. Hoc autem ex eo conjicio, quòd cùm tam ſæpe Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, aliique illorum temporum doctores de publica pœnitentia agant, eamque deſcribant, quatuor illarum ſtationum, annorumque cuique attributorum non videntur meminiſſe, eamque totam in fletu, cilicio, cinere, publicâ coram populo ſupplicatione, jejuniis, ſeceſſuque ab Altare, à publicis curis & voluptatibus poſitam fuiſſe docent. Igitur præcipua pars canonicæ pœnitentiæ conſiſtens in longiſſimis illis & plenis pudore quatuor ſtationibus, imponi deſiit poſt aliquot ſecula, eventu aliquo rariſſimo excepto, adhuc ta-
42 men tam communis fuit etiam hoc tempore horror pœnitentiæ publicæ, ut in Eccleſia Greça à quinto ſeculo aut ſexto, uſque ad noſtram ætatem, vix ullum reperiatur, aut etiam nullum memorandum publicæ pœnitentiæ

exem-

exemplum: in Eccleſia autem Latinâ, Epiſcopi non pauci octavi, nonique ſeculi, ne pœnitus corrueret in Eccleſia uſus publicæ pœnitentiæ, implorare ceperint brachium ſeculare, nempe Principum potentiam, quâ qui deliquerant, ad publicam pœnitentiam cogerentur; extantque, ut bene noſti, Imperatorum hac ſuper re decreta. Cum verò, quod violentum eſt, diuturnum eſſe non poſſit, brevì ſua pœnitentiæ reſtituta libertas eſt, ſed iterum tam rara cepit eſſe quam libera, niſi etiam rara fuit cum prædicti Imperatores ad eam urgebant: id enim eo ipſo tempore amarè dolet & lamentatur Jonas, qui ſeculo nono Aurelianenſem Eccleſiam gubernabat lib. 1. de inſtitutione Laicali cap. 10. *Perrari namque ſunt hodie in Eccleſia*, (inquit) *qui talem agant pœnitentiam, qualem antiquorum Patrum pœnitentium exempla, & authoritas canonica ſancit. Quis namque criminis reus, qui utique pœnitentiâ publicâ debuit mulctari, cingulum militiæ deponit, & à liminibus Eccleſiæ cætuque Fidelium arcetur, & à Chriſti corpore ſeparatur? Quis porrò in cinere & cilicio, more pœnitentium antiquorum, lamenta pœnitudinis ſuſcipit?* Quæ ſane verba, plus ſignificant

Q quam

quam volebam, nempe non ſolum paucos, ſed neminem publicam & ſeveram pœnitentiam eo tempore ſubjiſſe in Galliarum Eccleſiis, aut etiam in Latinis omnibus: non enim dixit *in hac Eccleſia* ſed *in Eccleſia*. Secutis certè temporibus uſque ad ſæculum duodecimum, tanta exequendi pœnitentiam canonicam deſperatio inceſſit homines, ut ipſis ad qualemcumque ſuorum criminum pœnitentiam revocandis, opus fuerit plures illos veteris pœnitentiæ annos, ad menſes, imo dies & horas redigere, ut patet ex novo jure circa milleſimum edito de redimendis per eleemoſynas, preces, palmatas, ſcoparum tunſiones, aliaque hujuſmodi, pœnitentiis.

43 Tertiò, ut jam loquamur de illis paucis, qui aut ex ſua pietate, aut minis Epiſcoporum abſterriti, aut Principum vi adacti, pœnitentiæ jugum ſubibant, nec iſti in multos annos nedum in viginti & amplius, ut putas, produxere pœnitentiam. Et primò iis qui ſponte ſua ſcelera confitebantur, magnâ ex parte pœna remittebatur, ut legenti canones Conciliorum, Gregorii, Baſiliique conſtabit. Sæpe enim id cavetur, ut ſponte confeſſis minor

pœna

pęna irrogetur. Id ipſum ſiebat, cum Pęnitens veri doloris & emendationis ſigna præbebat. *Cum Pœnitentes* (inquiunt Nicęni Concilii Patres can. 11.) *cum omni timore, & lacrymis perſeverantibus, & operibus bonis converſationem ſuam non verbis ſolùm, ſed opere, & veritate demonſtrant, licebit Epiſcopo humanius aliquid circa eos cogitare*. Idem monet Greg. Nyſſ. epiſt. can. ad Letojum, *ſi ſit fide digna converſio, non ſervetur annorum numerus, ſed temporis prolixitate reſecatâ, ad Eccleſiæ reſtitutionem, & boni partictpationem compendio deducatur*. Et Innocen. 1. epiſt. 1. cap. 7. *De pondere æſtimando delictorum, Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad Confeſſionem Pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem*, & Leo epiſt. 79. cap. 6. ad Nicetam Epiſc. *Tempora pœnitudinis, habitâ moderatione, conſtituenda ſunt tuo judicio, prout converſorum animos proſpexeris eſſe devotos*. Et epiſt. 129. novæ edit. *Pœnitentia nòn tam temporis longitudine, quam cordis compunctione penſanda eſt*. Idem colligitur ex epiſt. Epiſcopi Magalon. quam ſupra recitaſti: niſi etiam amplior ibi facultas cuique Epiſcopo, imo omnibus Ec-

cleſiarum Rectoribus, conceditur, liberandi videlicet Pœnitentem eo vinculo pęnæ longioris, quacunque ex cauſa, modo rationabilis eſſet, & honeſta. Hæc enim, ni malè recordor, fuerunt ſuprema ejus epiſtolæ verba: *de pœnitentia etiam ſibi injunctâ, ſecundùm quod ratio exigit, benignè relaxetis.* Erat igitur in manu cujuſque, longiſſimam contrahere pęnitentiam, quam qui protrahebat ad plura luſtra, non Eccleſiæ ſeveritatem, ſed ſocordiam ſuam incuſare debe-
44 bat. Secundò quem merita propria non commendabant, non rarò commendabant aliena, faciebantque ut lapſo quamvis in graviſſima ſcelera, venia non admodum differretur. Eâ benignitate cum Pęnitentibus uſa eſt ſæpiſſimè vetus Eccleſia, pro ea ſumma reverentia, quâ habebat Martyres, Confeſſoreſque, pro Pęnitentibus intercedentes. Martyres autem vocabantur etiam ii, qui pro fide nondum vitam profuderant, ſed ſanguine in tormentis profuſo, detinebantur in carcere, ut ultimo ſupplicio afficerentur, Confeſſores autem dicebantur, qui confeſſi Chriſtum erant, & carceri mancipati, nondum tamen ſuſceperant in quæſtione tormenta, ut Card. Baron. ad

ann.253.

ann. 253. Hos igitur, aut utroſque, aut alte-
rutros adibant Lapſi, ut commendatitias ab
eis ad Epiſcopos litteras acciperent. *Conſue-
verunt illi* (inquit Card. Baron. ad ann.cit. lo-
quens de Lapſis) *detentos in carcere adire Mar-
tyres & Confeſſores, ab eiſdemque pacem petere,
rogare veniam, & ſupplices ab eiſdem ad Epi-
ſcopos, & cæteros Sacerdotes accipere litteras,
quibus in conſortium piorum admitti peterent.*
Nec ii ſoli, qui lapſi in Fidei quæſtione erant, 45
id perfugium habebant, ſed omnis generis
Pœnitentes, ut refert Tertullianus factus
Montaniſta, de pudicitia cap. 20. *Ut quiſque
ex confeſſione vincula induit, adhuc mollia, in
novo cuſtodiæ nomine ſtatim ambiunt mœchi;
ſtatim adeunt fornicatores: jam preces circumſo-
nant; jam lacrymæ circumſtagnant maculati cu-
juſque, nec ulli magis aditum Carceris redimunt
quam qui Eccleſiam prodiderunt.* Subdit autem
Cardinalis Baronius loc. cit. *tantâ reverentiâ
& timore, non Laici tantum, ſed & Clerici, ac
ipſorum præſertim Epiſcopus, Martyres & Con-
feſſores in carcere detentos proſequi conſueve-
rant, ut ab illorum rogatione deſciſcere, & quos
illi litteris commendaſſent deſpicere invidioſum
nimis & aſperum cenſeretur.* Innumeris pro-

 inde

inde hac viâ facillimus adveniam patuit adi-
tus, ita ut rogandi tandem fuerint Martyres
Confeſſoreſque, ne tam multos tam facilè
Epiſcopis commendarent, ut patet ex Cypr.
46 epiſt. 11. Tertiò cum propria merita deerant,
nec aliena juvabant, indultum ſæpe fuit ex
timore inferendi majus detrimentum, nempe
ex ipſa Pęnitentium imbecillitate, quorum
ingens numerus periiſſet, ſi canonica fuiſſet
eis impoſita pęnitentia. Hac de cauſâ fuit ſta-
tim receptus ut ſupra diximus cum ſuo po-
pulo Trophimus Epiſcopus à Sanctiſſimo
Pontifice Cornelio, qui proinde male audiit
apud quoſdam Epiſcopos Africæ, veluti ni-
mis benignus, ſed à S.Cypriano fuit egregiè
defenſus epiſt. 52. ad Antonianum ita ſcri-
bens. *Nam ſicut Anteceſſores noſtri SÆPE
fecerunt, colligendis fratribus noſtris cariſſimus
frater noſter Cornelius neceſſitati ſuccubuit, &
quoniam cum Trophimo pars maxima plebis ab-
ſceſſerat, redeunte nunc ad Eccleſiam Trophimo,
& ſatisfaciente, & pœnitentia deprecationis er-
rorem priſtinum confitente, & fraternitatem,
quam nuper abſtraxerat cum plena humilitate &
ſatisfactione revocante, auditæ ſunt ejus preces,
& in Eccleſiam Domini, non tam Trophimus,*

quam

quam maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admiſſus eſt, qui omnes regreſſuri ad Eccleſiam non eſſent, niſi cum Trophimo comitante veniſſent.

Quod Cornelius cum Trophimo, & anteceſſores Epiſcopi cum aliis ſæpe fecerunt, fecere ſucceſſores, nempe Concilium Antiochenum cum Samoſateno, Melchiades Papa cum Donatiſtis, Nicænum Concilium cum Novatianis, Alexandrinum, confirmante Liberio Papâ, cum Epiſcopis Arianis, aliique Patres, in id præſertim intenti, ut qui reconciliabantur, veteres errores ex corde damnarent, eam publicam eorum damnationem loco pęnitentiæ habentes, ut patet ex Concilio Laodiceno, quod præter prædictam damnationem, nihil injungit aliud: ſic enim habet can. 7. *De his qui ab Hæreticis convertuntur, ideſt Novatianis, aut Photinianis, aut Teſſaradecatitis, ſive baptizati ſint illi ſive Catechumeni, non ante ſuſcipiantur, quàm omnes hæreſes anathematizent, & præcipue illam, qua detinebantur, & tunc demum hi, qui apud eos dicebantur Fideles, noſtræ doceantur fidei Symbolum, & uncti ſacro Chriſmate ſic Myſteriis communicent ſacroſanctis.*

47 Benigna hujuſmodi praxis, ſuadente experientiâ paulatim invaluit, ut exceptis inſignioribus delictis, reliqua omnia fuerint ſtatim pœnitus remiſſa, & pœnitentia non ita longa purgata. Seculo octavo S.Bonifacius Moguntinus Epiſcopus, hoc ſtatutum edidit. *Quia varia neceſſitate præpedimur canonum ſtatuta de reconciliandis Pœnitentibus pleniter obſervare, propterea omnino non dimittatur, curet unuſquiſque Presbyter ſtatim poſt acceptam confeſſionem Pœnitentium, ſingulos data oratione reconciliari*. In Eccleſia Aurelianenſi, ſeculo nono vix ulla à Pœnitentibus publica pœnitentia exigebatur, deque hoc tanquam de communi conſuetudine queritur, & expoſtulat cum populo ſuo Jonas Aurelian. Epiſc. per hæc verba in loco ſuperius citato, *Priſcis religionis noſtræ temporibus, dum quis ſecundum conſtitutum ſibi à Sacerdote, uſque ad ſatisfactionem cilicio indutus & cinere conſperſus, habitu incultus, humi proſtratus, lacrymiſque profuſus videbatur, ſtatim pœnitens eſſe agnoſcebatur, utque ei à Domino ignoſceretur, ab omnibus deprecabatur. Nunc autem in cætu Chriſtiano idcirco vix pœnitens agnoſcitur, quia PENE NIHIL HORUM ERGA POENITEN-*

NITENTES AGITUR. Et tamen eorum quoque temporum canones Pœnitentiales, ſeveriſſimi ſunt. Quid quod idem Morinus à communi eâ regulâ tam longæ & ſeveræ pœnitentiæ innumeros excipit lib. 5. cap.6. ubi ſic. *Cum urgebat periculum mortis, aut reformidabatur ſalutis animæ pernicies, veluti cum periculum erat, ne capitalium peccatorum rei ad Hæreticos, aut etiam Gentiles transfugerent, aut grave aliquod incommodum Eccleſiæ crearetur, abſolutio ſtatim poſt confeſſionem peccati, & veræ reſipiſcentiæ demonſtrationem, aut brevi exactâ pœnitentiâ concedebatur*. Adeo, quamvis ſevera lex eſſet, fuit ſemper praxis benigna, vel ſaltem minus ſevera, quam vos putatis, qui ſolas veteres leges recolitis, & ex legibus mores æſtimatis.

D. R. Norunt omnes, ex legibus non ſatis colligi praxim. At ego facta & non ſolos canones Eccleſiæ veteris in aciem eduxi.

D. D. Facta quidem aliqua produxiſti, 48 ſed quàm pauca illa ſunt pro tot ſeculis, nempe facta ſeptem vel octo pro totidem ſeculis. Quod autem mirabilius eſt, nullum ex ipſis id quod intendis evincit, ſed omnia, aut inutilia ſunt, aut contraria. Expendamus ſingula.

la. Refert quidem Ambroſius, ſe *cognoviſſe quoſdam, continuis fletibus exaraſſe genas, ſtraviſſe corpus ſuum calcandum omnibus &c.* Non tamen refert id façere coactos eos fuiſſe, ut canonicam pęnitentiam adimplerent: id enim contra canones factum fuiſſet, cum cautum eſſet, ut horum ſic dolentium pęnitentia, non ſolum perpetua ne eſſet, ſed nec admodum longa. Agit igitur Ambroſius de voluntariis Pęnitentibus,qualis abſque dubio David fuit, aliique innumeri, quibus Eccleſiaſtica abundat hiſtoria, qui rigidiſſimam uſque ad mortem, & pluſquam canonicam pęnitentiam, ſolo impellente canone Charitatis peregerunt. Præterea *quoſdam* novit Ambroſius tamdiu Pęnitentes,nempe aliquos perpaucos. Non igitur is erat Eccleſiæ mos, ut viginti & amplius annorum pęnitentiã rei plecterentur. Cum enim etiam tum ea graviſſima delicta,.quibus tot annorum pęnitentiam canones decernebant, non rarò patrarentur, & forte frequentiùs, quam modò, ut alibi ex eorum temporum Scriptoribus oſtendam, jam non *quoſdam*, ſed ſatis multos, tamdiù pęnitentes agnoviſſet Ambroſius.

49 Pœnitentia quam deſcribit Joannes Climacus,

macus, eſt pęnitentia Religioſorum, quam ex jure & lege propriâ illius Monaſterii, non autem ex lege & jure communi Eccleſiæ, perſolvebant qui graviſſimo aliquo delicto profeſſionem religioſam violaverant, ut eſt ea pęna, quâ etiam modò plectuntur in Ordine Religioſo Apoſtatæ, vel graviſſimæ alterius culpæ rei. Non igitur eâ narratione evincitur quod intendis.

Ex graviſſima pęna, quæ ſoleret infligi 50 Pęnitentibus, ſi contraherent Matrimonium, vel militiam repeterent, nihil probari oſtenſum eſt ſuprà. Addo, hoc ipſo vinculo relaxatos facile fuiſſe Pęnitentes, cùm gravis cauſa ſuaſiſſet. Hinc Leo Papa, ſcribens Galerio Epiſcopo Tripolitano, relatus à Gratiano 33. quæſt. 2. relaxavit eo vinculo ejus regionis gentem, quæ alioquin Pęnitentiæ remedium recuſaſſet. Eadem benignitate uſus eſt idem Pontifex ſcribens ad Ruſticum cum quibuſdam, qui metu mortis imminentis, cùm Juniores eſſent in Pęnitentium Ordinem cooptati, poſtea, ne laberentur in fornicationem, Matrimonium contrahebant. Hanc & ſimilem veniam, ſolitam facile præberi ab Epiſcopis, innuunt ſatis ea Divi Auguſtini

verba

Digitized by Google

verba ſerm. 58. de temp. rejicientis quorumdam impenitentium excuſationem. *Fortè eſt aliquis qui dicat, ego in militia poſitus ſum, Uxorem habeo, & ideo pœnitentiam agere quomodo poſſum? quaſi nos quando pœnitentiam ſuademus, hoc dicamus, ut unuſquiſque magis ſibi capillos ſtudeat auferre, & non peccata dimittere, & veſtimenta potius evellat quam mores.*

51 Quod ipſum conſtat ex pœnitentia Theodoſii, qui eâ perfunctus nec abſtinuit à publicis curis, nec à bellis gerendis, nec à geſtandis inſignibus ſuæ dignitatis, aliiſque hujuſmodi, à quibus pœnitentes abſtinere jubebantur. His ergo legibus poſt pœnitentiam fuit abſolutus, uti aliis multis dum ipſam perageret, quamvis cum eo actum durius fuiſſe ineruditi credant. Delictum ille commiſerat adeò publicum, adeò enorme, adeò multiplex, ut nec centum annorum pœnitentià dilui poſſet. Peccarant quidem in Imperatorem Theſſalonicenſes, ſed aliqui tantum ex ipſis peccarant, nempe pauci ſeditioſi, nec publico conſilio, iique ipſi pauci dederant pœnas, ut habet Coſterius in vita Ambroſii. Intercedentibus pro ea Urbe pluribus

ribus Epiſcopis, ipſoque Ambroſio, veniam ſe daturum promiſerat Imperator, quam tamen adeò non dedit, ut crudelius de ea Urbe ſupplicium ſumere vix poſſet. Occiſi enim ſunt ad ſeptem millia Theſſalonicenſium ſine ullo delectu, ſed, ut diſcurrentibus per Urbem militibus ſeſe offerebant, Juvenes Seneſque, indigenæ, adveneque; immo, ut in Theatrum per deteſtabilem proditionem fuerant à Magiſtratibus ad Circenſes Ludos invitati, nempe, ut ſimul in caveam collecti, & nil minus cogitantes, inermeſque, faciliùs occidi poſſent. Cum uni homicidio tot annorum pœnitentia, ut dicis, imponi ſoleret, quam longa imponi debuiſſet pro ſeptem millibus homicidiis innocentium ſubditorum, cum tanta feritate, fraude, perfidia commiſſis? Nec unius tamen pœnitentiæ diem indixit Ambroſius, ſed per epiſtolam plenam obſequio quam recitat Card. Baronius id factum referens, eum, ne ad Eccleſiam oblaturus, & communicaturus accederet, admonuit, accedentemque removit, quorum neutrum omitti vix poterat ſine ingenti ſcandalo. Id enim eo tempore ſine ullo diſcrimine præſtabant omnes, qui enormi, & publi-
co

co aliquo delicto ſe obſtrinxerant, ut ab oblatione aut etiam ab Eccleſia pro aliquo tempore abſtinerent. Continuit ſe quidem domi Imperator, poſtquam fuit ab Eccleſia repulſus, totos ſex menſes gemens, & lugens, ſed ſponte ſuà, non autem ex Antiſtitis illud eo temporis ſpatium ad pœnitentiam ſtatuenſis imperio. Quare, ut primùm ſe iterum ad Eccleſiam contulit, & Ambroſio eum pariter reppellenti profeſſus eſt, ſe venire non ut Imperatorem, ſed ut Pœnitentem, paratum omnia facere, quæ juberetur ad ſui criminis expiationem, ſtatim receptus eſt juſſuſque id ſolum (en tota pœnitentia quàm Ambroſius pro tantâ cladè impoſuit) ut eàm legem conſcriberet, quâ deinceps executiones ſententiarum de cæde, & publicatione bonorum ad triginta dies differentur, ut illo temporis ſpatio, maturè expendi poſſent; quod ubi ſe facturum promiſit, Templum ingredi permiſſus eſt, nullâque aliâ ei lege indictâ ex iis multis,quę tunc indici Pęnitẽtibus ſolebant, poſt publicam confeſſionem delicti ſui, quam Imperàtor in medio Templo humi pronſtratus, & gemens ex ſua pietate peregit, fuit illico à Sancto Antiſtite ad publicam cum

aliis.

aliis Sacræ Euchariſtiæ Communionem admiſſus. Magna profectò fuit in hoc facto Ambroſii generoſitas, ſed rigor nullus, eaque ipſa generoſitas, necceſſaria fuit. Cum enim poſt adeò enorme delictum, quod univerſæ Eccleſiæ ſcandalo fuerat, permitti ab Epiſcopo non poſſet citra grave peccatum, ut Imperator ad Euchariſtiæ Communionem, nullâ exhibitâ pœnitentiæ ſignificatione publicè accederet (acceſſiſſet autem ſi Templum eſſet ingreſſus) jam neceſſariò fuit repellendus. Repulſo autem, & veniam expoſcenti, nulla potuit imponi pœnitentia mitior eâ, quam Ambroſius impoſuit, non induendi videlicet ſaccum, non permanendi per aliquot annos pro foribus Eccleſiæ; perque alios cum Catechumenis, & procul à Fidelibus in cinere, cilicio, lacrymis, & jejuniis, procul à thoro, procul à bello, procul à curis publicis, procul à voluptatibus, ſed unicam legem condendi, eamque ærario noxiam, nihil Principi, aut ſubditis gravem, ſed his perutilem, illi decoram. Quare hujuſmodi factum Ambroſianæ benignitatis potius argumentum fuerit, quam antiqui rigoris.

Id ipſum de pœnitentia, quâ B. Grego- 52
rius

rius VII. Henricum ſubegit, dicent eruditi omnes, qui norunt, quot & quanta ille Imperator in Pontificem in Eccleſiam, in Deum deliquerat; Nec valdè gravis ea habebitur, quæ alteri Henrico Angliæ Regi poſt impiam Sancti Archiepiſcopi necem, à ſuis ſatellitibus perpetratam, fuit impoſita; ſi perpendantur ingentia demortui Præſulis in regnum, & Eccleſiam merita, eaque innumera, & graviſſima mala, quibus tot annis fuit à Rege vir ſanctiſſimus totâ Europâ exagitatus, & millies pravâ voluntate occiſus, quibus omnibus culpis eluendis, fuit ei pœnitentia, quam deſcripſiſti, impoſita, ærario gravior quàm corpori, quam an fuerit executus, ignoro. Nec ego is ſum, qui valde graves pœnitentias olim fuiſſe quandoque impoſitas, negem; ſed nego tam graves fuiſſe pro qnibuslibet gravibus, aut etiam gravioribus impoſitas, & pernego eas non fuiſſe plerumque remiſſas, ſed executioni mandatas. Executionem certè non habuit pœnitentia Ludovico Pio Imperatori impoſita, nec, ſi habuiſſet, poſſet utiliter hæc in exemplum afferri, cùm conſtet, eam fuiſſe à factioſis Epiſcopis, adnitente Lothario ejus filio, re-
gnandi

gnandi cupido, injuſtè impoſitam.

Juſta fuit ea quam Edgaro Angliæ Regi S. Dunſtanus inflixit: eaque, quam S.Romualdus impoſuit. ſed id factum fuit à ſanctiſſimis illis viris, non ex lege communi, ſed Deo interiùs impellente, ut in Eccleſia, ſicut reliquarum virtutum abundant exempla, ita extaret aliquod pœnitentiæ rigidioris exemplum: cùm cæteroqui humano judicio culpandus non videretur Otho Imperator, ejuſque exercitus Dux, dum Creſcentium, receptum quidem in fide, ſed iniquiſſimum Tyrannum, & nova ſemper contra S. Sedem moliturum, ipſo impellente, qui factum probare poſſe videbatur, neci dederunt.

Ex his igitur quæ produxiſti antiquitatis exemplis, non eminet ea, quam animo præconceperas, veteris Eccleſiæ in imponendis pęnitentiis, eiſque exigendis ſeveritas, cùm plura ego produxerim veteris benignitatis, in condonandis, aut minuendis, aut relaxandis pœnitentiis exempla. Verùm volo tecum eſſe humanior; fuerit Eccleſia vetus, non ſolum ſeverior, quam præſens, in ſceleribus vindicandis, quod eſt indubitatum, ſed 54

fuerit pluſquam ſeverior, nec ſolum alicubi, quod etiam indubium eſt (nullum enim Eccleſię ſęculum caruit Epiſcopis rigidioribus, ut nullum caruit benignoribus) ſed ubique ſeveriſſima fuerit, quid, rogo, ex hoc colligitis Rigidi Doctores? Aliquid profectò intenditis, dum ſemper obtruditis Canones antiquæ diſciplinæ, dum ſemper pœnitentias illas viginti, & amplius annorum memoratis. Num ut videamini eruditi? non laudo vanitatem. Num ut erudiatis? laudo charitatem. Num ut Fideles ad ſeveram, ſed liberam, & ſpontaneam ſuorum ſcelerum vindictam excitetis? Iterum laudo charitatem, & alieni profectùs amorem. Num (quod ſuſpicor valdè (ut Confeſſarios ad eaſdem modo imponendæ pœnitentiæ leges ſervandas inducatis? damno, deteſtorque importunam ſeveritatem.

D. R. Cur importunam eam vocas?

55 *D. D.* Cauſas afferam, cùm calumnias, quibus præſentis Eccleſiæ benignitatem in invidiam vocatis, reiiciam. Nunc ſatis ſit eam innuere, nempè, non eaſdem diverſis temporibus leges congruere *Multa ſunt* (inquit S. Leo Papa Ep. 90. ad Ruſticum Narbonen-

bonenſem) *quæ aut pro neceſſitate temporum, aut pro conſideratione ætatum, oportet temperari.*

D. R. Nunquam igitur nobis modò utendum erit ſeveritate, & leves ſemper pœnitentiæ injungendæ.

D. D. Id ego non aſſero, nec iſta præ- 56
ſentis Eccleſiæ praxis eſt. Injungantur graves pœnitentiæ, ſed non quas prædicas à veteri Eccleſiâ impoſitas, viginti, & amplius annorum, quas videlicet, nunquam aut vix unquam vere factas oſtendi, & ſine fructu in aliquibus Regionibus impoſitas fuiſſe oſtendam. Injungantur graves, quæ videlicet nunc habentur graves, ut ſunt jejunium aliquod, notabilis eleemoſyna, Templi non ita proximi viſitatio, nec brevis oratio, Sacramentorum ſemel ſaltem in menſe perceptio, ſalutaris libri quotidiana lectio per Hebdomadam, aut menſem, quæ cum graves pœnitentiæ nunc habeantur, jam de gravitate delicti ſui pœnitentem docent, monentque non eſſe leve, quod commiſit: id enim debere eum per pœnitentiam moneri Concilium Tridentinum innuit ſeſs. 14. cap. 8. dum vult, eam eſſe imponendam, ne Pœniten-

nitentes *peccata leviora putantes in graviora labantur*. Injungantur graves, quæ revocent à peccato, ut idem vult, ſed quæ non revocent à Pęnitentię Sacramento, ut charitas poſtulat,
57 graves inquam *pro gravitate criminum*, &, ut idem Concilium ſubdit, *pro facultate pœnitentium*. *Neque enim* (ut bene Chryſoſtomus lib. 2. de Sacerdotio) *temere ad delictorum modum oportet, & mulctam ipſam adhibere, ſed tanquam conjecturis quibuſdam explorandus eſt delinquentis animus, ne fiat, ut dum conſuere vis quod interruptum eſt, ſciſſuram deteriorem facias, ac dum eum, qui lapſus eſt erigere atque emendare ſtudeas, caſus ipſe major per te reddatur. Nam qui infirmi ſunt, ac remiſſi, & magnâ ex parte, Mundi hujus deliciis illecebriſque illaqueati, quique à generis claritate, à potentia, atque opibus habere ſe putant, undè animos magnopere tollant, ſi ſenſim ac paulatim peccatorum correctionem adhibeas, poſſint utique ſi non penitùs, attamen parte aliquâ eximere ſe, ac liberare malis peccatiſque quibus occupantur; quos ſi juſtâ ſtatim animadverſione emendes, fiet, ut minori etiam illâ correctione, quam ſuſtinere poterant, prives. Humanus enim animus, poſtea quam verecundiæ fines ſemel tranſire coa-*

ctus

ctus eſt, in indolentiam delabitur: tum autem, neque blandis verbis paret, neque minis flectitur, neque beneficiis movetur. Quo circa, multâ quidem opus eſt Paſtoris prudentiâ, ſexcentis etiam, ut ſic dicam, oculis, ut rectè undique humani animi habitum circumſpicere poſſit. Igitur 58
ſi Pęnitens repugnat, aut illibenter conſentit, minuendum erit onus impoſitum, ejuſque non humeris tantum, nempe viribus corporis, ſed animi etiam viribus attemperandum. Si præſertim Pœnitens ex iis non ſit, qui ſemel tantùm in anno, & potius ex metu cenſuræ, aut infamiæ accedunt, quàm ex amore ſalutis ſuæ, cum his enim forte ſeveriùs agendum ſit, ut ipſa ſeveritate animus ipſorum, ac diſpoſitio exploretur.

Demum, quandoquidem veteres cano- 59
nes pœnitentiales renovari tam ardenter cùpis, unum ut renoves, non permittam tantùm, ſed hortabor. Primus hic eſt in libris Pœnitentialibus veteris Eccleſiæ, eoque monentur Confeſſarii partiri pœnitentiam cum Pœnitentibus, ita ut quoties ipſos jejunare jubent, jejunent cum ipſis *una aut duabus Hebdomadis, aut quantum poſſunt.* Sic habet liber Pœnitentialis Egberti Eboracenſis, alii-

que à Morino recitati poſt ſuum opus de pœnitentia. Sic habent liber Pontificalis Monaſterii Gemmeticenſis, aliique allati ab Edmundo Martene de antiq. Eccl. rit. part. 2. lib. 1. Hæc autem ſunt omnium verba. *Quotieſcumque Chriſtiani ad pœnitentiam accedunt, jejunia damus, & nos communicare debemus jejunio unâ aut duabus hebdomadis, vel quantum poſſumus, ut non dicatur nobis quod Sacerdotibus Judæorum dictum à Domino Salvatore. Væ vobis legiſperitis qui aggravatis homines, & imponitis ſuper humeros eorum onera gravia & importabilia: ipſi autem uno digito veſtro non tangitis ſarcinas ipſorum: Non enim poteſt ſublevare cadentem ſub pondus, niſi inclinaverit ſe, ut porrigat ei manum... Neceſſe ergo nobis eſt, ſollicitos nos eſſe pro peccantibus, quia ſumus alterutrum membra. Et ſi compatitur unum*
60 *membrum, compatiuntur omnia membra.* Sit hujus generis rigor veſter, in alios amore mixtus, in vos ſeverus totus: ſit is, quem certè non præfertis. Id enim diſplicet omnibus qui vobiſcum verſantur. Vident vos eò benigniores vobiſcum, quò rigidiores eſtis cum aliis. Non hæc incedentium per veſtigia Patrum, ut incedere jactitatis, praxis eſt. Si

gra-

graves illi pœnitentias impoſuerunt aliis,
graviſſimas ipſi ſubiere. Cum de ſua pœni-
tentia dubitarunt, an à juſta menſura defice-
ret, an juſtam excederet, exceſſum malvere
quam defectum; at, cùm hoc de pœnitentia,
quam imponebant aliis, dubium incidiſſet,
deficere malvere quam excedere, ex nimia
miſericordia, deflectere de recto tramite, quam
ex nimia ſeveritate: tutius eſſe judicãtes in hac
re de qua agimus non quod eſſet rigidius, ſed
quod eſſet benignius. Horum exemplo, ut
arbitror, inſtructus S. Thomas, *Tutius eſt* (in- 61
quit opuſc. 65.) *ponere pœnitentiam minorem
debito, quàm majorem, quia melius excuſamur
apud Deum propter multam miſericordiam,
quam per nimiam ſeveritatem*. Et Gerſon Pari-
ſienſis Cancellarius, *Tutius eſt cum parva pœ-
nitentia, quæ ſponte ſuſcipitur, & vereſimiliter
adimpletur, ducere confeſſos ad Purgatorium,
quàm cum magna non implenda, præcipitare in
Infernum*. Quam ſanè doctrinam approbat in
Iſtructione pro Confeſſariis magnus ille dux
animarum Franciſcus Saleſius tam cum aliis
benignus, quàm ſecum rigidus, oleo Chriſti
perunctus, non felle Phariſæorum, quibus
pubellè comparat rigidos Sacerdotes Joannes

62 Chriſoſtomus, vel alius quicunque eſt Auctor operis imperfecti hom. 43 ad caput 23. Matth. explicans ea verba, *Alligant autem onera gravia, & importabilia*, & refertur in Decreto 26. quæſt. 6. *Tales ſunt* (inquit laudatus Pater Phariſæos indigitans) *nunc & Sacerdotes qui omnem juſtitiam populo mandant, & ipſi nec modicè ſervant: videlicet non ut facientes ſint juſti, ſed ut dicentes appareant juſti. Tales ſunt & qui grave pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt, qui dicunt, & non faciunt, & ſic dum*
1 *pœna præſentis pœnitentiæ fugitur, contemnitur pœna peccati futura. Sicut enim ſi faſcem ſuper humeros adoleſcentis, quem non poteſt bajulare poſueris, neceſſe habet, ut aut faſcem rejiciat, aut ſub pondere confringatur, ſic & homini, cui grave pondus pœnitentiæ imponis, neceſſe, eſt, ut aut pœnitentiam tuam rejiciat, aut ſuſcipiens, dum ſufferre non poteſt, ſcandalizatus amplius peccet. Deinde etſi erramus modicam pœnitentiam imponentes, non ne melius eſt propter miſericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Ubi enim Pater-familias largus eſt, diſpenſator non debet eſſe tenax. Si Deus benignus eſt, ut quid Sacerdos ejus auſterus? Vis apparere Sanctus? circa vitam tuam eſto auſterus, circa alienam benignus.*

CA-

CALUMNIA X.

Per vim fuere Fideles veteris Eccleſiæ ad publicam, & ſeveriſſimam Pœnitentiam compulſi.

DISPUTATIO X.

Doct. Rig. ID quidem primis Eccleſiæ ſeculis factum fortaſſe non fuit, factum autem fuiſſe poſt ſextum aut ſeptimum ſeculum in tota aut fere totâ Eccleſiâ, docent Eccleſiaſtici Scriptores probatiſſimi, qui certè calumnias texere noluerunt.

Doct. Diſcr. Scriptores Eccleſiaſticos legi omnes, aut pleroſque, id autem ab Eccleſia

1 ſia fieri unquam ſolitum, non legi.

D. R. At id expreſsè docent Conciliorum, veterumque Canonum Collectores. Et primò docent expreſsè, fuiſſe eos, qui moniti pœnitentiam publicam recuſaſſent, ad eam per excommunicationem compulſos, nec eam tantùm, quâ Euchariſticâ Communione privarentur, quæ ſola fuit ordinaria & frequens per aliquot ſæcula excommunicatio, ſed eam, quâ ab omni humanâ conſuetudine arcerentur, inque eas redigerentur anguſtias,
2 in quibus vivere vix poſſent. Inter Capitula, quæ Carolo Magno jubente ex Capitulis Patris, & Patrui collecta ſunt, eſt illud, quod habetur Capitularium lib.7. cap.331. & affertur ab Iſaaco Lingonenſi tit.4. cap. 14. *Inceſti dum in ipſo deteſtando, atque nefando ſcelere manent, non inter Fideles Chriſtianos, ſed inter Gentiles, aut Catechumenos, vel Energumenos habeantur, ideſt cum Chriſtianis non cibum ſumant, non potum, non in eodem vaſculo edant, aut bibant, ſed ſoli hoc faciant: non oſculentur, aut ſalutentur ab eis. Et ſi ſuis Sacerdotibus inobedientes extiterint, & à tam nefandiſſimo ſcelere ſegregari, atque ad publicam pœnitentiam redire noluerint, inter eos habeantur, qui ſpiritu*

peri-

periclitantur immundo, vel etiam inter eos, de quibus ipſa Veritas dicit, ſi te non audierit &c.

Theodulphus Aurelianenſis Epiſc. in epiſt. monitoria ad Presbiteros diœceſis ſuæ epiſt. 26. *Si quis perpetrato perjurio aut quolibet criminali peccato, timens Pœnitentiæ longam ærumnam, ad confeſſionem venire noluerit, ab Eccleſia repellendus eſt, ſive à Communione, & conſortio Fidelium, ut nullus cum eo comedat, neque bibat, neque oret, neque in ſuam eum domum recipiat*. Idem ſtatuit Hincmarus Remenſis Archiep. in capitulis, quæ obſervanda tradit Epiſcopatus ſui Presbyteris, & referuntur tom. 3. Conc. Galliæ cap. 1. addens eâ pœnâ reum mulctari debere *ſi ad pœnitentiam venire noluerit infra qnindecim dies poſt monitionem*. Pœnitentiale Rom. tit. 1. cap. 11. poſt explicatam graviſſimam pœnam uxoricidæ infligendam addit *ſin aliter feceris, & Sanctæ Matris Eccleſiæ ſalubre conſilium deſpexeris, ipſe tibi ſis judex, & in laqueum Diaboli, quo irretitus teneris, maneas, ſanguiſque tuus ſit ſuper caput tuum, & ſub indiſſolubili anathemate permaneas, donec Deo, & Sanctæ Eccleſiæ ſatisfacias*. Anno 884. regnante in Francia Carolo Manno Ludovici Balbi filio, in Conventu

ventu Bernenſi ab Epiſcopis & Abbatibus cap. 5. id ſtatutum eſt de bonorum alienorum Raptore, *Epiſcopus ſemel & bis atque tertio, ſi neceſſe fuerit vocabit illum ſuâ admonitione per ſuum Præsbyterum canonicè ad emendationem, & ad pœnitentiam, ut Deo, & Eccleſiæ ſatisfaciat, quam læſit. Si autem deſpexerit.... feriat illum paſtorali virgâ, hoc eſt ſententiâ excommunicationis, & à communione Sanctæ Eccleſiæ, omniumque Chriſtianorum ſit ſeparatus uſque ad congruam ſatisfactionem & emendationem*. Idem tribus poſt annis minatur inceſtuoſis impœnitentibus Concilium Colonienſe. In Hiſpania Regnante Ferdinando I. in Concilio Coyacenſi anno 1050. can. 4. ſtatuitur ſimiliter, *ut omnes Archidiaconi, & Presbyteri ſicut ſacri canones præcipiunt, vocent ad pœnitentiam adulteros, inceſtuoſos, ſanguine mixtos, fures, homicidas, maleficos &c. & ſi pœnitere noluerint, ſeparentur ab Eccleſia, & à communione*.

4 Hac ratione primùm, nempe minis graviſſimæ pœnæ ſpiritualis, conjunctæ cum pœna temporali civilis ſegregationis à reliquis fidelibus, compulſi olim fuere ad pœnitentiam, qui deliquerant. Sed his non ſatis

per-

permoventibus, ventum eſt ad vim manifeſtam, quam quia inferre non poterant Epiſcopi Miniſtrorum ad id neceſſariorum copiā deſtituti, Principum auxilium implorarunt, obtinueruntque. Iſtius conſuetudinis veſtigia nonnulla deprehenduntur in legibus veterum Chriſtianorum Imperatorum, & in quibuſdam Epiſcoporum poſtulationibus. Verùm ab anno 700. conſuetudo iſta fuit frequentiſſima, ejuſque extant permulta teſtimonia. Capitular. lib. 5. cap. 149. *Quicumque propriā uxore derelictā vel ſine culpa interfecta, aliam duxerit, armis depoſitis, publicam habeat pœnitentiam & ſi contumax fuerit, comprehendatur à Comite, & ferro vinciatur, & in cuſtodiam mittatur, donec res ad noſtram notitiam deducatur*. Carolus Calvus in Concilio Sueſſionenſi cap. 10. act. 7. tom. 3. Concil. Galliæ ann. 853. hanc legem condit, vel potius renovat: *Miſſi noſtri omnibus Reipublicæ Miniſtris renuncient, ut Comes, vel Reipublicæ Miniſtri; ſimul cum Epiſcopo uniuſcujuſque Parochiæ; ſint in Miniſteriis illorum, quandò idem Epiſcopus ſuam Parochiam circumierit, cum Epiſcopus eis notum fecerit. Et quos per excommunicationem Epiſcopus adducere non poterit, ipſi*

ipſi regia auctoritate & poteſtate ad pœnetentiam, vel rationem, atque ſatisfactionem adducant. Concilium Moguntinſi ſub Rabano can. 28. *Vt Epiſcopi inceſtuoſos pęnitus inveſtigare ſtudeant omnino decrevimus. Qui ſi pęnitere noluerint, ab Eccleſia expellantur. Quod ſi Sacerdotum admonitionibus noluerint aurem accōmodare volentes in priſtinis perdurare criminibus, oportet eos per ſecularis potentiæ diſciplinam à tam pravā conſuetudine coerceri.* Similis canon legitur in Concilio Turonenſi ſub Carolo cap. 41. lib. 2. Capitul. cap. 43. Burcardo lib. 7.
5 cap. 29. Vormatienſi Concilio cap. 79. Quod in his locis contra inceſtuoſos, contra omnes perditos ſtatuitur in Concilio Sueſſionenſi cap. 12. & āpud Juonem part. 9. cap. 65. ubi ſic. *Obtentum eſt etiam à Devotiſſimo Principe, ut incęſti, & quilibet alii perditi, examen Epiſcoporum refugientes, per Judices publicos ad eorum præſentiam deducantur, ne alterius illecebram peccati nutriat impunitas vitiorum.* Sed nihil legi poteſt illuſtrius in hanc rem lege Arnulfi Imperatoris, quæ refertur can. 3. Concilii Triburienſis, quod celebratum eſt anno 895. *Idcirco non potentiam oſtendentes, ſed juſtitiam exhibentes, præcipimus omnibus*

regni

Digitized by Google

regni noſtri Comitibus, poſt quam ab Epiſcopis
anathemate excommunicationis percelluntur, &
tamen ad pęnitendum non inclinantur, ut ab ipſis
comprehendantur, & ante nos perferantur, ut
qui divina judicia non verentur, humanā ſen-
tentiā feriantur &c. Si tam rebelles fuerint, ut
comprehendentibus repugnare ſtuduerint, & in
tali temeritate interfecti fuerint, *judicio Epi-*
ſcoporum interfectoribus nulla imponatur pęni-
tentia. Comprehenſi autem à Regiis Mini- 6
ſtris, carcere claudebantur, & ſubinde vapu-
labant, ſi præſertim eſſent Clerici, Monachi,
aut ſervi; hi quia non erant ingenui, illi ve-
rò quia majori ſupplicio digni cenſebantur,
nec habendi ut ingenui, poſt quam Eccleſia-
ſticum principatum, ad quem erant evecti,
ſuis moribus dehoneſtàrant. Capitularium
lib.7. capitulo 311. *ſtatuimus, ut quiſquis ſer-*
vorum Dei, vel ancillarum Chriſti in crimen
fornicationis lapſus fuerit, quod in carcere pę-
nitentiam faciat in pane & aqua & ſi ordinatus
Presbyter ſit, duos annos in carcere permaneat,
& ante ſcorticatus & flagellatus videatur, &
Epiſcopus adaugeat. Si eutem Clericus vel Mo-
nachus in hoc peccatum inciderit, poſt tertiam
verberationem, in carcerem miſſus, vertentem

annum

annum ibi pęnitentiam agat. Similiter & Nonnates velatæ eadem pęnitentiâ teneantur. Hoc autem ſtatutum fuerat in Synodo Liptinenſi celebratâ ann. 742. & inde ſumptum, ut patet ex lib. 5. capitul. cap. 2. Libro autem 7. cap. 330. & Iſaacus Lingonenſis tit. 4. cap. 13. *Si autem ſervus vel Eccleſiaſticus fuerit, publicè flagelletur ac decalvetur, & juxta proprii Epiſcopi juſſionem, pęnitentiam publicè & canonicè gerat*. Nempe ut dicitur in capitularibus Caroli Calvi, *propter metum aliorum & ut vel inuiti, pęnitentiam corporaliter & temporaliter*
7 *agant, ne æternaliter pereant*. Reliqui vero nempe ſæculares, multo jejunio & oratione purgabantur, unde Gregorius II. ad Leonem Iſauricum Imperatorem ſcribit in hæc verba. *Vides Imperator, Pontificum & Imperatorum diſcrimen. Si quiſpiam te offenderit, domum ejus publicas & ſpolias, ſolam illi vitam relinquens, tandemque illum vel ſuſpendio necas vel capite truncas, vel relegas, Pontifices non ita; ſed ubi peccaverit quis, & confeſſus fuerit, ſuſpendii, & amputationis loco, Evangelium & crucem ejus cervicibus circumponunt, eumque tanquam in carcere, in ſecretaria ſacrorumque vaſorum æraria conjiciunt, in Eccleſiæ Diaco-*

nia,

Digitized by Google

nia, & in catehumena ablegant, ac viſceribus eorum jejunium, oculiſque vigilias, & laudationem ori ejus indicunt: cumque egregiè caſtigarint, probèque fame afflixerint, tum pretioſum illi Domini corpus impartiunt, & ſancto illum Sanguine potant; & cum illum vas electionis reſtituerint, ac immunem peccati; ſic ad Dominum purum inſontemque tranſmittunt. Hæc 8
Pœnitentium incarceratio fiebat præſertim initio Quadrageſimæ. Hinc veterum librorum Pœnitentialium, ſeu Sacramentariorum commune illud exordium, *Ordo agentibus publicam pœnitentiam. Suſcipis eum quartâ feriâ mane in capite Quadrageſimæ, & cooperis eum cilicio, oras pro eo, & includis uſque ad Cœnam Domini.*

Diutiùs retineri aſperiùſque tractari vo- 9
luit Baſilius, præſertim Clericum, Monachumque obſcœnâ aliquâ levitate ſordidulum mandans, ut refert Petrus Damiani in ſuo Gomorrhiano, & Iuo part.9. Decreti cap.93. *Ut publicè verberetur, & coronam amittat, decaluatuſque turpiter ſputamentis obliniatur in facie, vinculiſque arctatus ferreis, carcerali ſex menſibus anguſtiâ maceretur; & triduo per hebdomodas ſingulas ex pane hordeaceo ad veſperam*

 reſi-

reficiatur. Poſt hæc aliis ſex menſibus ſub ſenioris ſpiritualis cuſtodiâ in ſegregata curticula degens, operi manuum, & orationi ſit intentus, vigiliis, & orationibus ſubjectus, & ſub cuſtodia ſemper duorum ſpiritualium fratrum ambulet nullà pravà loquutione, vel concilio deinceps Juvenibus conjungendus.

10 Quia verò, quamvis carcere tandem ſolverentur pœnitentes, non ſolvebantur legibus pœnitentiæ, ſed eas per aliquot annos cuſtodire jubebantur, quod aliqui facere detrectabant, cautum à Patribus Hiſpanis Galliſque fuit in Concilio Toletano 4. Ut *Quicumque ex ſæcularibus accipientes pœnitentiam, totonderunt ſe, & rurſus prævaricantes, Laici effecti ſunt, comprehenſi ab Epiſcopo ſuo, ad pœnitentiam ex qua receſſerunt, revocentur.*

11 His tam multis, plurium ſæculorum, omniumque regionum teſtimoniis conſtat, non fuiſſe à nobis per calumniam veteri Eccleſiæ attributum, quòd Fideles non ſolum adhortando impulerit, ſed cogendo perduxerit ad publicam, eamque valde aſperam pœnitentiam, quo ſatis oſtenditur, falſum eſſe quod à te, & à reliquis benignis Doctoribus aſſeritur, voluntariam debere eſſe, & ma-

& maximè liberam pœnitentiam, & vel non
eſſe imponendas graviores pœnitentias, vel
ſine præcepto ineluctabili, ne delicatulis vis
ulla inferatur, & fiat odioſa pœnitentia.

D. D. Eruditè quidem, niſi fortè tota 12
iſthec Morini laus ſit, & eruditio: ego verò
ingentes tibi gratias ago, quòd vel tuo, vel
alieno labore adeò luculentè probaveris quod
non ſemel innui, & alibi oſtendam, nempe
per veteres Canones pœnitentiales ſtatui
pœnas, quarum plræque infligebantur in fo-
ro externo, cujus certè erat ſententiam ex-
commnnicationis ferre, carceri mancipare,
flagellis cædere &c. non igitur eviciſti quod
debebas, nempe vim factam fuiſſe Fidelibus
confitentibus in foro interno, & Sacramen-
tali (de quo in his diſputationibus agimus)
ut publicas, eaſque tam aſperas pœnitentias
ſubirent. Id ego tantum nego, quod vos
non ſemel aſſeritis, ut Confeſſarii, quorum
certè forum internum eſt, fortes ſint in im-
ponendis gravibus pęnitentiis, & utantur vi
ſaltem præcepti ineluctabilis, ſententiamque
non mutent, quamvis Pœnitens imbecillis
pœnam deprecetur. Hanc ego fuiſſe veteris
Eccleſiæ praxim nego, ut ut ſevera ea praxis

fuerit, quam eadem in curandis quidem animi morbis,ſed extra forum ſecretæ Confeſſionis per aliquot ſæcula cuſtodivit.

13 Quamvis nec iſta tam ſevera fuit, quam eam fuiſſe deprædicas. Et quidem S. Leo interrogatus à Ruſtico Epiſcopo Narbonenſi, quâ ratione eſſet agendum cum iis qui publicam pœnitentiãm agere differunt, non reſcribit, eos eſſe abſcindendos à Fidelium cœtu, aut carceri mancipandos, ſed eſſe tolerandos, benignè hanc ipſam eorum dilationem interpretans. *Dilatio hæc* (inquit, & non *diſſimumulatio* ut perperam habent exemplaria) *poteſt non de contemptu eſſe remedii, ſed de metu graviùs delinquendi. Undè pœnitentia, quæ dilata eſt, cum ſtudioſiùs petita fuerit, non negetur, ut quoquo modo, ad indulgentiæ medicinam, anima vulnerata perveniat.*

14 Sed re Chriſtianâ poſt Leonem non parum inclinatâ, & jam nimis multis Paſtorum patientiâ abutentibus, cum monitio ſperneretur, igni ferroque tentanda curatio fuit, & gladius anathematum vibrandus. Id autem rigori tribuendum non eſt, tum quia paucis ea vis fuit illata, nempe atrocius aut cum majori ſcandalo peccantibus, tum quia inu-

inutilia fuerant mitiora remedia, ex qua ratione, etiam modò qui in Paſchate communicare detrectant, anathemate feriuntur.

Nec rigidæ violentæque habendæ ſunt illæ, quas recitaſti, de pervicacibus comprehendendis, Epiſcopo tradendis, in carcerem amandandis, cædendiſque, Imperatorum conſtitutiones. Eos enim ea cenſura complectitur, quos propter crimina quæ commiſerant, potuiſſent Imperatores, aut morti, aut carceri perpetuo adjudicare: pro ea autem pietate quâ præſtabant, foro eos Epiſcopali tradebant, ut punirentur quidem, ſed longè mitiùs, quàm ſui fori leges ferrent, tantòque mitiùs, quantò citior eſſet, ac teſtatior emendatio. Ex benignitate igitur, non ex rigore, profecta fuit ea legum Imperialium, quas recitaſti, in favorem pœnitentiæ comminatio.

Fateor tamen, ab aliquibus Epiſcopis Gallis Hiſpaniſque fuiſſe hujuſmodi Pœnitentes eorum cuſtodiæ curæque traditos ſeveriùs caſtigatos, ſed univerſæ Eccleſiæ ea ſeveritas non fuit, nec ita utilis, ut alibi oſtendam nec diù viguit mos ille compellendi vi ſatellitum armatorum ad pœnitentiam.

Digitized by Google

16 Diuturnior ac tolerabilior fuit in Eccleſia mos ille colligendi claudendique initio Quadrageſimæ Pœnitentes, ut ex Ritualibus plurium ſæculorum libris palam fit, & oſtenditur à Morino lib. 5. cap. 15. Colligebantur uatem non vi Satellitum, ſed amore pœnitentiæ, non impellente minaci Principum imperio, ſed invitantium Paſtorum conſilio, aut ſimplici præcepto. Hujus retruſionis Pęnitentium *in capite jejunii* Quadrageſimalis mentionem faciunt quamplures veteris Eccleſiæ Sacramentarii, ſeù Pœnitentiales libri, nec tamen quidquam habent, unde colligere poſſimus per vim fuiſſe delinquentes in eam cuſtodiam collectos. Quin cuique ſpontaneum eum ſeceſſum fuiſſe ſatis docent, dum Fideles ad eam pœnitentiam invitatos dicunt
17 non autem compulſos, aut coactos. Alcuinus Diſcipulus Ecberti Eboracenſis Archiepiſcopi, hominis doctiſſimi, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ amantiſſimi, in libro de Divinis Officiis eo longo capite cui titulus *In capite jejunii* docet primo loco debere tunc Sacerdotem ADMONERE omnes Chrianos, ut ad Confeſſionem, & pœnitentiam eo tempore accedant, & in Cœna Domini ad reconciliationem.

tionem . Idipſum monet Ordo Romanus
allatus à Morino lib.4. cap. 15. Sic enim ha-
ber. *In primis PRÆMONERE debet Sa-
cerdos omnes Chriſtianos, ex ſacris Scriptura-
rum teſtimoniis, quatenus in capite Jejunii, ad
veram Confeſſionem, veramque pęnitentiam feſti-
nantes accedant*. Ut moniti & non coacti ad
Eccleſiam pergebant eâ die, qaotquot agere
pœnitentiam volebant, ità voluntariè, nulla-
que vi coacti includebantur in loco ad eum
ſeceſſum deſtinato, ut voluntaria eſt etiam
modò aliquorum Deo vacare cupientium, per
liquot dies in domo religioſâ clauſurâ. Hinc 18
prædictum locum nunquam carcerem vocant
prædicti Rituales libri, nec carcer erat *ſed tan-
quam carcer*, ut optimè Gregorius II. paulò an-
te laudatus: erat enim locus ſecretior, quale
erat ęrarium Templi, aut aula in qua cauſę ſa-
cræ tractabantur à Sacerdotibus, & negotia ad
Eccleſiam ſpectantia à Diaconis, indè appellata
ſecrctariũ, quò etiã amandabantur per aliquot
dies ante Baptiſmum Cathecumeni, ut cõſtat
ex hiſtoria ſacra, & innuitur à prædicto Gre-
gorio afferente, conſueviſſe Eccleſiam ablegare
Pęnitentes in Diaconia, & Catechumena, qui-
bus in locis clauſi Pęnitentes, haud quaquam

vapulabant,ſed ea præſtare jubebantur,quę recenſentur ab eodem Gregorio,nempe jejunia, vigilias, preceſque, quibus ipſis exercitationibus per decem dies vacant qui ſacræ Militiæ ſunt nomen daturi, & vulgò dicuntur face-
19 re exercitia ſpiritualia. Quorum quia mentio incidit, velim, expendas tecum, an prudens ea lex eſſet, quâ cogerentur Fideles ſecedere in locum ſecretum per decem dies, quoties pro commiſſis gravibus culpis Sacramentum Pœnitentiæ ſumere meditantur, ut quicunque ſacri Ordinis Sacramentum ſumere cogitant, aut emittere profeſſionem Religioſam, eo decem dierum ſeceſſu purgare priùs animum, & excolere compelluntur. Quis non videt, hanc fore legem pernicioſam, nec inſtitutioni ſacramenti Pœnitentiæ quod eſt longè diverſum à Sacramento Ordinis, cùm ſit cuique neceſſarium,& debeat eſſe frequens animæ remedium, fore ſatis conſentaneam? Non igitur ſatis conſultè in ſecretæ Pœnitentie diſciplinam transferuntur ea, quæ ſpectabant ad publicam pœnitentiam, qualia ſunt ea, quæ ipſe ſuperiùs produxiſti, quam publicam pœnitentiam fuiſſe olim veluti Profeſſionem Religioſam, & Pœnitentis conſe-

cra-

Digitized by Google

crationem,norunt omnes.Fuerit ergo per vim olim impoſita in aliquibus Regionibus publica pęnitentia,quę ſemel tantum toto vitę tempore agebatur, non inde tamen laudabile ſit, quod Confeſſarius, ſecretæ Pœnitentiæ miniſter, vim ullam inferat in hoc ſacramento, eaſque Pœnitentem cogat accipere, & exequi pœnitentias, quæ inſuetæ ſunt, aut nimis ingratæ, quæ indigent ſtudio nimis operoſo, quæ anxium, & dubitantem animum perturbant magis, quas demum ſibi nolit imponi qui eas imponit.

CA-

Digitized by Google

menta quæ proferam, audaciam meam excuſabunt: cum præſertim non aſſeram certum & indubitatum id eſſe, ſed ſaltem non eſſe certum oppoſitum quod aſſeritis, nempe Ecclèſiam tandiu diſtuliſſe ſupplicibus pœnitentibus indulgere.

D. R. Ut video, Morinum non legiſti: tam enim certa veterum Scriptorum, Doctorumque teſtimonia profert, ut dubitationem omnem adimat.

D. D. Morinum centies verſavi totum; non tamen in ſuam ſententiam animum meum inclinavit, quin potius, audaciorem me fecit exemplo ſuo.

D. R. At ille ſequitur communem ſententiam.

D. D. Veriùs jam dicam de te, Morinum non legiſti; vel ut plerique faciunt, ſolos titulos percurriſti. Siquidem, nec is communem ſententiam ſequitur: poſtquam enim cap. 1. lib. 9. citavit Oſium Cardinalem, Joannem Maldonatum, Petavium, Albaſpinæum Epiſcopum Aurelianenſem Marianum Victorium alioſque, ſimpliciter & indefinite aſſerentes, olim *non dari ſolitam abſolutionem ante peractam integram pœnitentiam*, *niſi*

niſi in mortis articulo, ab ipſis recedit, docetque, non poſſe id aſſeri *ſic univerſaliter*. *Deprehendimus enim*, inquit, *pleriſque peccatorum generibus abſolutionem eo more, qui nunc & ab aliquot ſeculis obſervatur, ab ipſis Eccleſiæ incunabulis conceſſam eſſe. In iis verò, quibus abſolutio poſt actam pœnitentiam lege ordinariâ differebatur, multis variiſque modis exceptum fuiſſe.* Ex his probè intelligis, eum non ſequi communem ſententiam, quamvis nec mihi conſentiat.

2 Tres igitur hac ſuper re ſententiæ ſunt: Prima eſt prædictorum Doctorum, quamvis forte non omnium, docentium abſolutè, Eccleſiam veterem, nempe priorum ſex aut ſeptem ſeculorum, ſolum poſt actam pœnitentiam abſolvere conſueviſſe unico excepto mortis articulo. Secunda Morini docentis cum ſolis publicis pœnitentibus hanc diſciplinam fuiſſe cuſtoditam, nec id ſemper, ſed *de lege ordinariâ*. Tertia ea eſt quam tueor, docens, lege ordinariâ fuiſſe omnes ante impletam, & forte etiam ante inceptam pœnitentiam, aut paulo poſt, abſolutos, non quidem ab omni vinculo, ſed ſaltem à vinculis peccatorum: Non enim diffiteor, eam plenam abſo-

abſolutionem , quâ quis non ſolum à peccatis abſolvebatur , ſed etiam à pœnis , quas Eccleſia agentibus publicam pœnitentiam infligebat , ut erat privatio communionis , aliæque hujuſmodi, ſolum poſt exactam pœnitentiam fuiſſe plenè conceſſam .

D. R. Hanc enimverò diſtinctionem 3
unius abſolutionis ab altera exſibilat Morinus cap.2. & ante ipſum Eſtius non tantum exploſit , ſed indignam refutatione vocavit . Recitabo verba Morini , ut inde colligas , an ſolos ejus titulos oſcitanter percurrerim . *Mihi* , inquit , *hanc diſtinctionem cum antiqua diſciplina comparanti , quantum ejus ideam mente aſſequi poſſum , viſus eſt Guilelmus Eſtius rectè pronunciaſſe , eam nullum habere ab antiquitate teſtimonium* : *quod vel ſolum mihi ſatis ſuperque eſt , ut eam imaginariam cenſeam* .

D. D. Gratulor quòd eum legerimus ambo . Habebis ipſe quod opponas mihi . Habebo ego, jam paratus, quid reſpondeam tibi. Cæterum incerta fortaſſe erit hæc mea diſtinctio & opinio , imaginaria tamen certe non eſt , ut quæ proferam argumenta demonſtrant .

D. R. Profer quæſo ea ſtatim . Ingens

enim

enim me cupiditas inceſſit audiendi à te,quod nemo ab erudito homine audivit unquam.

4 *D.D.* Afferam perlibenter, utque ea quæ ſunt minus certa à certioribus ſecernam, oſtendam primò (quod certius eſt) Eccleſiam veterem, non ſemper abſolviſſe ſimul à culpis, & à pœnis quibuſdam canonicis, adeoque eas duas, ac diſtinctas abſolutiones, verè fuiſſe ab ea uſurpatas. Oſtendam ſecundò, quod etiam certum videtur, eos quoque qui publicam pœnitentiam ſubibant, fuiſſe ex lege ordinarià, antequam eam *totam* percurrerent, à peccatis abſolutos. Oſtendam tertiò ſaltem probabiliter, fuiſſe eoſdem ſtatim poſt confeſſionem, aut paulo poſt, culparum abſolutione donatos.

5 Et quidem conſueviſſe veterem Eccleſiam præbere diſtinctim duas illas abſolutiones, & aliquando unam poſt alteram, aliquando unam ſine alterâ, pluribus argumentis oſtenditur. Et primò,quamvis reconciliare publicos Pœnitentes ſpectaret ad Epiſcopum, & eo abſente, vel vices ſuas committente, ad Presbyterum; id tamen muneris, urgente neceſſitate, implebat etiam Diaconus. Nam Cyprianus ſic ſcribit ad Presbyteros & Dia-

conos

conos ſuæ Diecæſis epiſ. 13. agens de Lapſis. *Occurrendum puto noſtris, ut qui libellos à Martyribus acceperunt, & prærogativâ eorum apud Deum adjuvari poſſunt, ſi incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra apud Presbyterum quemcumque præſentem, vel ſi Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cæperit, apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint, ut manu eis in pœnitentiam impoſitâ, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres, litteris ad nos factis deſideraverunt.* Ne quis autem id permiſſum putet à ſolo Cypriano, & præter Eccleſiæ morem, Concilium Eliberinum id ipſum permittit can. 32. *Si quis graui lapſu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere ſine Epiſcopi conſultu, ſed potius apud Epiſcopum agat, cogente tamen infirmitate neceſſe eſt Presbyterum communionem præſtare debere, & Diaconum, ſi ei juſſerit Sacerdos.* Concilium Toletanum primum, id ipſum innuit, ſed clariſſime Flaccus Alcuinus de divinis officiis *in capite jejunii. Non enim omnes Clerici, aut ullus Laicus, hanc ſcripturam uſurpare aut legere debent, niſi ſoli illi, quibus neceſſe eſt: hi ſunt Epiſcopi, vel*

Pres-

Presbyteri, quibus claves regni celeſtis traditæ ſunt. Si autem neceſſitas evenerit, & Presbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat Pœnitentem, ac det ſanctam communionem. Norunt autem omnes, non poſſe Diaconos à peccatis abſolvere, hinc bene hic Alcuinus dicit, Epiſcopis, & presbyteris traditas claves regni cœleſtis, non autem dicit eas traditas Diaconis. Non igitur ea ultima pœnitentium reconciliatio erat ſemper cum peccatorum ab-
6 ſolutione conjuncta. Secundò, etiam cùm Epiſcopus aut Presbyter eo munere fungebatur, non uno ſubinde eodemque actu, à peccatis abſolvebat, & à pœnis peccatorum, quarum potiſſima erat privatio Euchariſticæ Communionis; ſed à culpis prius abſolvebat, inde abſolutum, Eccleſiæ & altari reconciliabat, ut patet ex Ordine Toloſano antiquiſſimo, quem ſæpe allegat, & præ reliquis celebrat idem Morinus. In eo ſiquidem, præmiſſâ formâ abſolvendi cum præfixo titulo *Abſolutio* ſubjungitur, *Poſt hæc erecti Pœnitentes afferantur à Presbyteris Epiſcopo, ut ipſe eos reconciliet Eccleſiæ*. Prima eſt abſolutio à peccatis, ſecunda eſt abſolutio à pœnis quibuſdam, quæ dicebatur reconciliatio cum Ec-

cleſia

Digitized by Google

cleſia & cum Altari. Tertiò ſæpiſſime crimi- 7
noſis & in mortis periculo conſtitutis, veniamque culparum expoſcentibus, ea tribuebatur, non tamen iidem reconciliabantur cum Eccleſia, nec pœnis canonicis exſolvebantur; quare ſi morbi vim ſuperabant, tenebantur ſolita Pęnitentium onera ſubire, ut reliqui omnes Pęnitenres nondum reconciliati: unde Concilium Carthag. 4. can. 78. *Pœnitentes qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint*. Quartò 8
Clerici, præſertim ſacro Ordine inſigniti, in graviora quædam prolapſi, nunquam reconciliabantur cum Eccleſia, ac de ſuo gradu dejiciebantur in perpetuum. Rurſus relapſi poſt publicam pęnitentiam nunquam cum Eccleſia reconciliabantur, adhuc tamen ſaltem in morte ſuis culpis abſolvebantur, ut præteritis diſputationibus probatum eſt. Igitur ſeparabiles erant hæ duæ abſolutiones, & frequenter etiam fuere de facto diſiunctæ. Igitur commentitia non eſt ea noſtra diſtinctio inter abſolutionem à ſolis culpis, & abſolutionem à ſolis pęnis, vel ab utroque, fuitque utraque non rarò diſtinctim impertita etiam
T in

in Eccleſia veteri, de qua loqueris ipſe & ego hactenus loquutus ſum: nam certè præſens Eccleſia ab his vinculis ſubinde diſtinctim abſolvit.

9 Probo nunc quod ſecundo loco probare conſtitui, nempe non conſueviſſe veterem Eccleſiam ad finem uſque pęnitentiæ eam veniam differre, quâ Pęnitens à culpis abſolveretur. Id autem probo duplici decreto, altero Soteri Pontificis, qui Eccleſiam ann. 175. regebat, altero Sylverii, qui ſedebat ann. 536. Ille quidem jubet omnes ſumere Altaris Sacramentum in Cęna Domini, additque, *Cum etiam Pœnitentes eodem die ad percipienda Corporis & Sanguinis Domini Sacramenta reconcilientur*. Quod ipſum decretum confirmavit circa finem quarti ſeculi Julius primus. Eſt autem indubitatum apud vos omnes, Pęnitentiũ ærumnas, & publicam ſatisfactionem fuiſſe plurium annorum, aut ſaltem unius anni ſpatium non rarò exceſſiſſe. Igitur non omnes eã die Cœnę Domini injunctam pęnitentiã abſolvebant; immò, ut vos dicitis, plerique nõ abſolvebant, & tamen omnibus venia dabatur, ut poſſent de Altaris ſacramento communicare: pleriſque igitur non dum peractâ

ractâ

ractâ pęnitentiâ remittebantur culpæ. Hinc bene Soterus non ait, eâ die abſolutè, & ſimpliciter reconciliari Pęnitentes, ſed *reconciliari ad percipienda Corporis & Sanguinis Domini ſacramenta*, nempe ad hunc præciſè effectum, & pro eâ die, pęnitentialem poſtea curſum proſecuturos. Alter verò, nempe 10
Sylverius voluit, ſin minus in nniverſa Eccleſia, ſaltem in Romana quinquies in anno Pęnitentes communicare, quodque ex eo conſequitur, quinquies abſolvi, ergo abſolvi à peccatis voluit, antequam totam pęnitentiam abſolverent. Decretum Sylverii eſt hujuſmodi apud Juonem decreti part. 2. cap. 29. & Burchardum lib. 5. cap. 19. *Singulis diebus Dominicis in Quadrageſima, præter hos qui excommunicati ſunt, & præter illos, qui in publica pœnitentia ſunt, ſacramenta Corporis, & Sanguinis Chriſti ſumenda ſunt. Et in cęna Domini, in Vigilia Paſchæ, & in die Reſurrectionis Domini, & in Pentecoſte, & in Natali Domini ab omnibus communicandum eſt*.

Tertiam jam Controverſiæ propoſitæ 11
partem probare aggredior, nempe non ſolum non fuiſſe veniam culparum ad finem Pęnitentiæ dilatam, ſed illico põſt Confeſſionem,

aut paulo poſt, fuiſſe conceſſam, dilatam verò tandiù fuiſſe ſolam pœnarum relaxationem.

Id autem probo primò ex eo, quod Confeſſor ſi ei conſtet, Pœnitentem eſſe bene diſpoſitum, regulariter loquendo tenetur ſub gravi peccato illum abſolvere. Ita docent omnes Theologi apud Suarium de pęnit. diſp. 32. ſect. 5. & traditur expreſsè à S. Gregorio hom. 26. in Euang. *Illum nos debemus per paſtoralem auctoritatem abſolvere, quem noſcimus Auctorem noſtrum vivificare, quæ nimirum vivificatio, ante operationem rectitudinis in ipſa jam dignoſcitur confeſſione peccati*. Hæc autem ſufficientiſſima diſpoſitio Pęnitentis Eccleſiæ conſtabat ex hoc ipſo quod Pęnitens poſt confeſſionem eam duriſſimam, & publicam pęnitentiam acceptabat inchoabatque de facto, ſubmittens ſe publicè in ſacco, & cinere pedibus Epiſcopi, aut vicarii Sacerdotis; ut abſque dubio conſtaret cuiquam etiam rigidiſſimo Sacerdoti diſpoſitio illius Pęnitentis, qui juſſus ſumere habitum Capuccinorum, eamque aut aliam arctiſſimam Religionem ingredi, non recuſaret, ſed habitum indueret,
12 & Religionem ingrederetur. Addit Suarius

ibi-

ibidem, hanc abſolvendi *obligationem ſtatim urgere, adeoque ſine rationabili cauſâ differri abſolutionem non poſſe*. Rationabilem autem cauſam non habebat Eccleſia eam differendi omnibus publicè Pęnitentibus, imo forte nec ulli, cum præſertim ſic abſolvens à culpis, non abſolveret ab omnibus pęnis, pergeretque Pęnitentem tot ærumnis affligere, & arcere ab Altari, quibus ſatis continebatur in officio, dabaturque Fidelibus pluſquam ſufficiens ſeveritatis exemplum ſine tam gravi damno Pęnitentis, quale erat manere tandiù expoſitum periculo ſuæ æternæ damnationis, & forte privatum facultate promerendi per ſuas actiones de condigno augmentum gratiæ & gloriæ, & pariter ſatisfaciendi pro ſuis culpis. Et confirmatur ex S.Leone, qui in textu quem allegavimus diſp. 9. num. 25. damnat eos Epiſcopos, qui nimis facile Eucharisticam communionem præbere differebant: ratio enim quam S.Pontifex affert, probat omnino, non debuiſſe tam univerſaliter, imo vix unquam differri culparum abſolutionem, quâ dilatione *anima Pœnitentis inermis quodammodo, & exuta omni munimine, diabolicis incurſibus, ut facile capiatur, objicitur*.

Quare, ſi eam communionis dilationem vocat irrogationem ſævi ſupplicii, à fortiori talem eſſe putavit dilationem, eamque ſic diuturnam, abſolutionis ſacramentalis. Igitur vetus Eccleſia non conſuevit eâ pęnâ communiter mulctare publicos Pęnitentes, alioquin in re graviſſimâ erraſſet.

13 Probo 2. ex ipſo Morino, qui lib. 9. cap. 6. num. 2. dicit, *quod cùm urgebat periculum mortis, aut reformidabatur ſalutis æternæ pernicies, veluti cùm periculum erat, ne capitalium peccatorum rei, ad Hæreticos, aut etiam Gentiles transfugerent, aut grave aliquod incommodum Eccleſiæ crearetur, abſolutio ſtatim poſt confeſſionem peccati, & veræ reſipiſcentiæ demonſtrationem, aut brevi exactâ pœnitentiâ concedebatur.* Et quidem loquitur de abſolutione ultimâ, & plenaria peccati, & pęnarum Eccleſiaſticarum, ergo ſemper, aut fere ſemper, concedebatur ſtatim, aut paulo poſt confeſſionem, abſolutio ſaltem à culpis, cùm ſemper, aut ſæpe eſſet formidandum, ne grave aliquod malum ex ea dilatione redundaret in Pęnitentem & hinc in Eccleſiam. Hinc idem Morinus cap. 7. & ſequentibus, infinitos caſus excipit à regula generali differendi in longũ tempus eam reconciliationem. Pro-

Probo 3. ex eodem Morino qui lib. 9. 14
cap. 14. num. 8. loquens de veteri Eccleſiâ hanc ſtatuit propoſitionem. *Crimina omnia, & peccata, quæ illis ſæculis non expiabantur per publicam pœnitentiam, ſtatim aut paulo poſt editam Sacerdoti confeſſionem remittebantur, pauculis exceptis, quæ cùm publica erant, communionis Eucharisticæ privatione nonnunquam à Canonibus caſtigabantur*. Igitur quæ non expiabantur per publicam pęnitentiam, ſed per ſecretam, de lege ordinariâ, ſtatim, aut paulo poſt condonabantur, ergo etiam quæ expiabantur per publicam pęnitentiam, cùm nemo ullus (quod ſciam) hoc diſcrimen agnoverit inter Pęnitentiam ſecretam, & publicam, quod in una abſolutio differretur, non differretur in alia; ſed in hoc, quòd una erat ſecreta, altera publica.

Probo 4. ex Sozomeno, qui cap. 16. 15
lib. 7. agens de prima inſtitutione Presbyteri Pęnitentiarii, ac de Pęnitentia publica, quam Nectarius ſuſtulit, refert prædictum Presbyterum conſueviſſe ſtatim abſolvere eos qui ad ipſum accedebant, ut ejus conſilio vel præcepto publicam pęnitentiam peragerent. *Presbyterum itaque aliquem, vitæ integritate*

quàm maximè ſpectabilem, ſecretorum etiam tenacem, ac ſapientem huic officio præfecerunt, ad eum accedentes qui peccarant, acta vitæ ſuæ confitebantur. Ille verò, pro cujuſque delicto, quid aut facere ſingulos, aut licere oporteret, interminatus abſolvebat, ut à ſe ipſi commiſſorum pœnas exigerent. Eo autem tempore, quod Nectarium præceſſit, de quo agit ibi Sozomenus, erat mirus conſenſus inter Eccleſiam Latinam & Græcam, in ritibus publicæ pœnitentiæ; & ſi quod inter utramque diſcrimen fuit, fuit ſolius majoris ſeveritatis, quæ viguit in Eccleſia Græca, ergo ſi cum tota ea majori ſeveritate, adhuc in ea ſtatim abſolvebantur publici Pœnitentes, idem profectò factum fuiſſe in Eccleſia Latina dicendum eſt.

16 Probo 5. ex veteribus libris Pœnitentialibus, ſeu Sacramentariis, in quibus diſtinctiſſimè docetur Confeſſarius ritus omnes tunc adhiberi ſolitos, in admittendis, probandis, abſolvendiſque Pœnitentibus: & quamvis non ſint fortè antiquiores S. Gregorio primo, aut Bedâ, ea tamen continent, quæ jam ex longo uſu fiebant, ut omnes fatentur, & colligitur ex mirabili omnium in prædictis ritibus conſenſu cum omnibus, quæ Patres

docent.

docent. Argumentum autem vim majorem habet in ſententia veſtrorum Doctorum, ipſiuſque Morini circa formam abſolvendi deprecatoriam. Is enim auctor cap. 8. lib. 8. num. 1. ſic habet. *Formulam ordinariam abſolutionis, ſive reconciliationis Pœnitentium fuiſſe deprecativam, teſtantur quotquot hactenus legi, aut relata audivi antiquitatis Eccleſiaſticæ monumenta, ad annum uſque ſalutis ducenteſimum ſupra milleſimum*. Quod fusè probare nititur eo cap. & ſequentibus. Capiti autem decimo hunc titulum præfigit. *Antiqui Rituales libri editi formulas omnes abſolutionis, tam publicas quam privatas, tam de ſanis, quam de morientibus, nobis exhibent deprecatorias*. Igitur cenſet is Auctor, Eccleſiam veterem verè abſolviſſe per prædictas formulas, quod an verum ſit, modò non quæro, ſed infero id quod debet inferre Morinus, ergo vetus Eccleſia, ſtatim poſt confeſſionem abſolvit, nam ſtatim poſt confeſſionem recitabat ſuper Pœnitentem prædictas formas deprecativas, ut videre eſt in prædictis libris Ritualibus, allatis à Morino de Pœnit. & à Martene de antiq. Eccleſiæ ritibus. Confirmo argumentum primò ſic. Ex Morino in prædictis libris Pœnitens in 17

Cœna

Cœna Domini abſolutâ pœnitentiâ abſolvitur à peccatis, ergo ſic abſolvitur etiam in die cinerum, cum pœnitentiam ſibi impoſitam inchoabat, nam utrobique recitantur ſuper Pœnitentem non aliæ quam prædictæ formulæ, ut habent omnes, aut fere omnes prædicti Rituales libri; ſolumque adduntur in cœna Domini aliquot formulæ, quibus ſignificabatur, Pœnitentem abſolvi etiam à pęnis canonicis, & reconciliari cum Eccleſia, & cum
18 Altari. Confirmo ſecundò, nam idem Morinus allatis in fine ſui Operis Græcorum Pęnitentialibus libris, hæc notat. *Si quis attentè legat præcedentes Abſolutionis formulas perſpicuè mihi videtur animadverſurus id quod multis probavimus lib. 6. cap. 25. duplicem ſcilicet in ſtadio Pœnitentiæ abſolutionem apud Græcos concedi ſolitam, primam ſtatim poſt confeſſionem, ſecundam poſt ſatisfactionem præſtitam, primam à peccatis, ſecundam à pœnis canonicis. Primam reconciliare Pœnitentem Deo, & Eccleſiæ, ſecundam Altari. Primam eſſe viaticum maximè neceſſarium, ut loquitur Concilium Nicænum, ſecundam eſſe viaticum, ſine quo ſalus eſſe poteſt: Primam dare ſalutem, ſecundam ſalutis perfectionem, ut loquuntur Græcorum formulæ.* In-

ter-

terrogo nunc Morinum, unde ipſe colligat
has duas abſolutiones uſurpari ſolitas à Græ-
cis? Certè non aliunde, quas ex prædictis for-
mulis, aut ſaltem ex ipſis præſertim, quas re-
perit in eorum Euchologiis, quarum aliquæ
recitantur ſtatim ſuper Pęnitentem confeſ-
ſum, aliæ poſt ſatisfactionem, ſed hoc idem fit
in prædictis Ritualibus Eccleſiæ Latinæ li-
bris, ergo dicere debet, etiam in Eccleſia La-
tina uſurpari conſueviſſe eas duas abſolutio-
nes, unam ſtatim poſt confeſſionem, aut paulo
poſt, alteram poſt ſatisfactionem. Confirmo 19
tutiò ex codice Remenſis Eccleſiæ, cujus ritus
pęnitentiales eoſque perantiquos recitat Mo-
rinus lib. 4. cap. 18. In eo poſt impoſitam in
capite jejunii pęnitentiam, agendam per ſoli-
tos gradus, expulſoque ab Eccleſia pęnitente,
immediatè ſubjungitur is titulus *Abſolutio
Pœnitentis in capite jejunii*, & inter varias for-
mulas deprecatorias, quę inde proponuntur,
eſt una cum hoc titulo *Abſolutio* ergo eâ die,
quæ erat caput jejunii & imponebantur pę-
nitentiæ, Pęnitens abſolvebatur, adeoque
cum inchoabat pęnitentiam, non verò eâ
completâ. Idem obſervare eſt in Sacramenta-
rio Romano aſſervato in Bibliotheca Ec-
cleſiæ

cleſiæ Rhotomagenſis . Idem in Pontificali
manuſcripto Eccleſiæ Ballovacenſis , quod
idem Auctor allegat cap. 10. Tandem in Or-
dine perantiquo, quem decimo loco affert
Edmundus Martene de antiq. Eccl. ritibus
part. 2. art. 7. cap. 6. poſt interrogationes fa-
ctas Pęnitenti , ejuſque confeſſionem , ſic mo-
netur Confeſſarius. *Tunc da ei pœnitentiam ſe-
cundum quodque peccatum , quod peccaverit ,
ſicut in Pænitentiali continetur, & poſt abſolvat
eum Sacerdos , ne forte ei ſuperveniat ſubitanea
mors , & ligatus de hoc ſæculo abſcedat* , poſt
quam monitionem ſtatim Pęnitens abſolvi-
tur . Nec eluditur argumentum , ſi dicatur ,
hìc agi de iis, qui faciebant ſecretam pęniten-
tiam , primò quia ritus quos ſacer Miniſter
docebatur per hos libros , pertinebant magis
ad pnblicam pęnitentiam, quàm ad ſecretam.
Secundò , quia periculum mortis eſt æquale
in utroque Pęnitente , publico & ſecreto ,
ergo ſi propter tale periculum abſolvebantur
ſtatim ſecretò pęnitentes , abſolvebantur ex
eadem ratione ſtatim etiam publicè Pęniten-
20 tes . Confirmc 4. ex eo ritu imponendi ma-
nus ſuper Pęnitentes cum ad pęnitentiam
admittebantur , ut habetur ex prędictis Ri-

tua-

tualibus, multiſque locis Patrum & Concíliorum. Cum autem Sacerdos imponebat manum ſuper Pęnitentem, cenſebatur eum abſolvere. Hinc abſolutio à Patribus vocatur communiter manuum impoſitio. *Quemadmodum Gentilem per lavacrum recipis* (inquiunt Apoſtoli apud Clementem lib. 2. conſtit. cap. 45.) *ita peccatorem per manuum impoſitionem, uti per pœnitentiam purgatum, omnibus pro eo rogantibus, in priſtinum ſtatum reſtitues, & erit in locum lavacri impoſitio manuum.* Alia hujuſmodi loca apud Scriptores paſſim occurrunt, poſſemque, ſi opus eſſet, innumera afferre. Huic confirmationi vis accedit ex Cardinali Bellarmino, qui lib. 1. de ſacr. confirm. cap. 7. docet, *per omnem impoſitionem manuum* Miniſtri ſacramentorum *dari Spiritum Sanctum.* Igitur, quandoquidem Pęnitenri ſtatim poſt ſuarum culparum confeſſionem imponebantur manur, ſtatim eidem omnium culparum abſolutio tribuebatur. Confir- 21
mo 5. ex alio ritu, quem Edmundus Martene de antiq. Eccleſiæ ritib. par. 2. cap. 6. art. 6. num. 5. animadvertit in quibuſdam Ritualibus manuſcriptis, quod nempe Presbyteri audirent quidem confeſſiones, ſed pęniten-

nitentiis impoſitis tranſmitterent ad Epiſcopum Pęnitentes ab eo reconciliandos, quod fieri non potuiſſet, niſi ipſi auditis confeſſionibus abſolviſſent ſacramentaliter Pęnitentem, quem poſtea Epiſcopus abſolveret pęnis canonicis, & cum Altari reconciliaret: ſolus enim qui audit confeſſionem Pęnitentis, abſolvere ſacramentaliter eum poteſt: eſt autem prorſus incredibile, quòd omnes Pęnitentes obligarentur iterum Epiſcopis confiteri, quæ Presbyteris confeſſi jam erant.

His argumentis ſuadetur mea ſententia nec, ut arbitror, ea tam facile ſolves.

D. R. Nec facile ipſe ſolves argumenta ſententiæ oppoſitæ.

D. D. Experire. Propone illa, & ſi Morinum ut initio dicebas, non oſcitanter legiſti, non multum in eis proponendis defatigaberis. Quod ſi non ſtatim occurrunt, dum ea in memoriam revocare curas, ſolvam quæ contra meam ſententiam affert Edmundus Mar-
22 tene. Is ergo par. 2. cap. 6. art. 5. num. 2. ſic incipit. *Reconciliationem Pœnitentis, non niſi poſt multos à confeſſione peccatorum factâ annos, conceſſam fuiſſe, hoc eſt totâ, & integra, quæ impoſita fuerat, pœnitentiâ completâ, norunt viri*

eru-

eruditi omnes, imo qui vel levem antiquæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ notitiam habent. Igitur ineruditus penitus, ac veteris diſciplinæ notitiâ ne leviter quidem tinctus dicendus erit Morinus, qui id ita univerſaliter, & ſine multis exceptionibus dici poſſe negavit, ut ſupra oſtendi, Morinus inquam, cujus vaſtiſſimam hac ſuper re eruditionem, jure mirantur etiam eruditiſſimi antiquitatis ſcrutatores.

Et quoniam incipit ab Eccleſia Romana, manifeſtè falſitatis redarguitur ab allegatis decretis Soteri, Julii, & Sylverii. At (inquit) Tertullianus in lib. de pudic. inducit Zephyrinum Pontificem Romanum dicentem. *Ego & mæchiæ, & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto*, ergo is erat uſus Eccleſiæ Romanæ, dimittere ſolis iis, qui pęnitentiâ perfuncti eſſent. Reſpondetur ex dictis ſupra, Tertullianum loqui de ſecunda dimiſſione plenâ & canonica, non ſolius peccati, ſed etiam pęnæ. 23

Affert ſecundo loco S. Leonem Papam, qui Epiſt. 82. novæ editionis ad Theodorum Forojulienſem Ep. itâ ſcribit. *Mediator enim Dei, & hominis homo Chriſtus Jeſus, hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & con-* 24

confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum, per januam reconciliationis admitterent. Reſp. 1. hoc textu non probari, quod abſolutio non daretur niſi pœnitentiâ completâ, ut ipſe aſſerit, ſed ad ſummum niſi pœnitentiâ ſaltem ex parte jam peractâ, & per eam purgato Pœnitente. Et certè primum aſſerere nequiit Leo, cum videret in Eccleſia Romana, juxta prædictorum Pontificum Soteri, & Julii decreta, quotannis in Cœnâ Domini Pœnitentes communicare, nempe ea die, quâ certe non omnes perſolverant injunctam pœnitentiam. Reſp. 2. nec probari eo textu, quod abſolutio non daretur niſi peractâ ſaltem parte pœnitentiæ, nam S. Doctor dicit præciſe, Communionem dari reconciliatis, & purgatis. Ultro autem concedimus, non conſueviſſe veterem Eccleſiam dare Communionem publicè Pœnitentibus, imò forte etiam ſecretò Pœnitentibus, niſi poſt peractam totam, aut ſal-
25 tem partem pœnitentiæ. Et quidem communio dabatur, ut modo dicebamus ex Sotero, & Julio, etiam iis, qui ſolam partem pœnitentiæ peregerant. Libera autem fa-

cultas communicandi, veluti jure ſuo, & non ex indulgentia dabatur ſolùm peracta tota pœnitentia, & penitùs cum Eccleſia, reconciliatis. Quare, cùm in Conciliis indicitur aliquibus, ne Communicent uſque ad exitum, debet intelligi negata illis per totam vitam libera facultas Communicandi, non autem quod nunquam communicarent, cum conſtet ex dictis Pontificibus, aliquando per annum omnes Pœnitentes ex indulgentia communicaſſe?

Affert tertio loco Sozomenum, qui lib. 26
7. hiſt. Eccl. cap. 16. antiquam Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem in pœnitentiæ adminiſtratione deſcribens, ità deſcriptionem concludit. *Ubi verò præſtitutus dies* (completæ pęnitentię)*advenit, tanquam debito quodam perſoluto à pœna commiſſi ſceleris liberatur, & reliquo Eccleſiæ populo ſociatur*. Sed Sozomenus mihi favet non ſolum in verbis præcedentibus à me allegatis num. 15. ſed etiam in his ipſis modò allatis: non enim dicit, eâ die fuiſſe Pœnitentem peccatis abſolutum, ſed liberatum *pœnâ* commiſſi ſceleris: ultro autem concedo, pœnas non fuiſſe condonatas niſi perſolutâ pœnitentiâ.

27 Affert quartò loco Ambroſium qui lib. 2. de Pœnit. cap. 3. ait *Quotieſcunque peccata donantur, corporis ejus Sacramentum ſumimus, ut per ſanguinem ejus fiat remiſſio peccatorum*. At Pœnitens non poterat ſtatim poſt Confeſſionem ſumere Sacramentum, ergo non ſtatim abſolvebatur. Reſp. quod ſi S. Ambr. loquitur de Pœnitentibus publicis, dum dicit eos ſumere Sacramentum dum abſolvuntur, loquitur de ultima abſolutione, quæ à Patribus vocatur abſolutè condonatio, & abſolutio, quia ea erat plena, & totalis, & poſt ipſam non agebatur amplius cum pœnitente tanquam cum reo. Si loquitur de Pœnitentibus ſecretis, hi certè ſtatim poſt abſolutionem ſecretam communicabant. Addo eam propoſitionem veram eſſe, etiam ſic abſolutè prolatam, & loquendo de quibuslibet Pœnitentibus: non enim dicit abſolutos *ſtatim* communicare, ſed communicare, quod verum eſt, quia id faciebant aut ſtatim, ſi non erant publici Pœnitentes, aut peractâ pœnitentiâ, vel ſaltem inceptâ, ſi erant publici Pœnitentes.

28 Affert quinto loco S. Pacianum, qui Ep. 1. ad Simpronianum, ita ſcribit: *Scio frater*

frater, hanc ipſam pœnitentiæ veniam non paſſim omnibus dari, nec antequam, aut interpretatio Divinæ voluntatis, aut forſitan viſitatio fuerit, relaxari. Magno pondere, magnoque libramine poſt multos gemitus effuſſionemque lacrymarum, poſt totius Eccleſiæ preces, ita veniam veræ pœnitentiæ non negari. Reſp. nos hic agere de venia culpæ, non de venia pœnitentiæ impoſitæ, illam dicimus ſtatim impertitam, non autem hanc; non enim Pœnitens abſolvebatur vinculo pœnitentiæ, niſi poſt ingentis contritionis indicia: hæc ſi apparuiſſent, pœnitentia relaxabatur; ſi non apparuiſſent, pœnitentia protrahebatur, ut alibi ego ipſe monui. Allegat inde Canonem Concilii Toletani 3. quo redarguuntur aliqui, *quod quoties eis peccare libebat, toties à Presbyteris ſe reconciliari expoſtulabant*; ſtatuiturque, ut *ſecundum formam antiquorum Canonum detur pœnitentia, quâ expletâ, ſicut Sacerdotalis contemplatio probaverit, Pœnitens communioni reſtituatur*. Reſp. aliud eſſe quod non debemus quemlibet abſolvere, aliud quod non debemus ſtatim abſolvere verè pœnitentem. Primum concedo, non alterum. Et rurſus aliud eſt quòd publicè pęnitenti de-

beretur ſolum poſt expletam pęnitentiam, concedi libera ſumendæ Euchariſtiæ facultas; aliud quod tunc ſolum ei deberetur impendi abſolutio peccatorum. Primum eſt verum, non autem alrerum.

29 Affert ſexto loco Cyprianum dolentem Ep. 59. ad Fidum, quod Therapius ſuus Collega pacem cuidam Victori Presbytero dediſſet, *antequam pœnitentiam plenam egiſſet*. Sed nomine *pacis*, ut conſtat ex aliis multis locis ejuſdem Doctoris, non ſignificatur abſolutio quævis, ſed plena, totalis, & canonica, quâ non ſolum Deus reconciliabatur cum Pœnitente, ſed etiam Eccleſia, & Altare, quam pacem non fuiſſe ſtatim conceſſam ultro concedo.

30 Affert ſeptimo loco Gennadium, qui lib. de Dogm. Eccleſiaſticis cap. 53. ſic habet. *Quem mortalia crimina, poſt Baptiſmum commiſſa premunt, hortor, priùs publicâ Pœnitentiâ ſatisfacere, & ita Sacerdotis judicio reconciliatum, Communione ſociari, ſi vult non ad judicium, & condemnationem ſui Euchariſtiam percipere*. Sed is ſimiliter vult præmitti debere ſatisfactionem ultimæ, & canonicæ reconciliationi, quâ ſolvebatur Pęnitens præcepto

non

non Communicandi : undè accedens ad Communionem ante exhibitam ſatisfactionem peccabat graviter, utpote gravis præcepti violator, & Euchariſtiam ad judicium, & condemnationem ſumebat, ut bene Gennadius monet. Citat inde homilias S. Eligii, præſertim eam, quæ eſt de Cęna Dom. ſed verba uon affert. Affert quidem verba Abbonis ſerm. 3. Spicilegii tom. 9. *Nullus eſt certè Epiſcopus, qui poſſit abſolutionem dare, niſi poſt pœnitentiam factam, & dignam ſatisfactionem*. Quod verum eſt de ſecunda, & canonica abſolutione. Inde ſic concludit. *Et certè ex Ebbonis Remenſis Archiep. Apologetico, Spicilegii tom. 7. patet ſæculo aduc nono, quo ille florebat, non niſi poſt ſeptennis pœnitentiæ ſpatium, peccatorum in Eccleſia factam fuiſſe Pœnitentibus remiſſionem*. Sed niſi fallor, ipſe ſibi contradicit; nam paulo poſt, nempe num. 12. affert hoc Decretum Sancti Bonifacii Epiſcopi Moguntini, qui ſæculo octavo florebat, *Curet unuſquiſque Presbyter, ſtatim poſt acceptam Confeſſionem Pœnitentium, ſingulos datâ oratione reconciliare*. Quis ſibi perſuadeat, ſeveriorem circa hoc fuiſſe Eccleſiam ſæculi noni, quo florebat Ebbo, quàm ſæculi octavi, quo

floruit Sanctus Bonifacius , aut amantiorem Eccleſiaſticæ diſciplinæ fuiſſe Ebbonem , hominem factioſum , & bis è ſuâ ſede dejectum, quàm fuerit Bonifacius Apoſtolus Germaniæ , idemque Martyr generoſus . Tolerabile quidem fuiſſet , ſi unius , vel alterius Epiſcopi praxim eam fuiſſe diceret , non enim negamus alicubi fuiſſe adeò dilatam veniam peccatorum , ſed illud prorſus intolerabile fuerit , quòd ex unius , aut paucorum facto , vel dicto , ſtatim colligat (ut ſæpè rigidi Doctores facitis) eum fuiſſe morem univerſæ Eccleſiæ , omnium , aut fere omnium Epiſcoporum , priorumque novem ſæculorum ; confidenterque pronunciet tanquam certam, & exploratam , hanc prpoſitionem negativam , & maximè univerſalem . *Et certè patet ſæculo adhuc nono , niſi poſt ſeptennis pœnitentiæ ſpatium , peccatorum in Eccleſia factam fuiſſe Pœnitentibus remiſſionem* ,

31 Trnſit inde ad Eccleſiam Orientalem ; Sed ex eâ ante Nectarium nihil validum promit ; poſt Nectarium verò , nempe vertente quarto ſæculo , fatetur *cœpiſſe eam Eccleſiam Pœnitentes factâ Confeſſione ante impletam ſatiſfactionem abſolvere* , *licet Communionem pro ra-*

tione criminum plures in annos differret, additque cum Morino id ab ea *hactenus mordicus retineri*, *duplicem Pœnitentibus abſolutionem impartiendo*, *unam factâ ſtatim Confeſſione*, *alteram cùm Pœnitens ſacrâ Communione donatur*, quo iterum oſtenditur, eum ritum impertiendi duplicem abſolutionem, non eſſe vanum capitis noſtri figmentum.

D. R. Nec hujuſmodi eum eſſe Morinus aſſerit, ſi dicatur ab Eccleſia Occidentali ſolùm poſt ſeptimum ſæculum uſurpatus; ſi verò antiquior eſſe dicatur, & prioribus quinque, aut ſex ſæculis receptus, figmentum eſt.

D. D. Jam video te velle hujus Doctoris argumenta in aciem educere. Fateor, ea validiora ſaltem in ſpeciem eſſe, quam quæ modò propoſui, ſolvique; non tamen de victoriâ deſpero.

D. R. Ecquid non ſperatis Doctores benigni, ad id nati, ut homines inani ſpe lactetis.

D. D. Agedum, & inani ſpe me deludi, factis oſtende. Propone jam argumenta Morini.

D. R. Proponam aliqua. Primum ille pe-

le petit ex ratione, quam authoritate confirmat. An non imprudenter (inquit ille) factum fuiſſet, ſi abſolutio à peccatis, quę pręcipua eſt, illico conceſſa fuiſſet, altera verò abſolutio, nempe canonica, quæ tota nihil erat aliud, quam quædam ceremoniola, non niſi poſt plurium annorum aſperam pœnitentiam? An pluris habita fuit pax cum Eccleſia, quam cum Deo, itaut hæc ſtatim donaretur, ea verò non niſi multo labore, multis lacrymis, multoque ſanguine compararetur? An non inhumana fuiſſet Eccleſia, ſi jam reconciliatum cum Deo, adeoque penitus innocentem, eo tam longo decennalis, quindennalis, & vicennalis pœnitentiæ ſupplicio caſtigaſſet?

32 *D. D.* Declamatoriè iſta dicuntur, & ex falſo Domine mi. Et primò falſum eſt, aſſeri à me, quod qui publicam pœnitentiam agebant, de quibus modo loquimur, ſtatim abſolverentur à culpis: Abſolvebantur quidem ſtatim poſt impoſitam pęnitentiam, ſed ea non imponebatur ſtatim. Poſt multas preces, & longum fletum jus agendi ſolemnem pęnitentiam, quæ erat veluti profeſſio religioſa concedebatur. Falſum eſt ſecundò, ulti-

mam

mam illam Eccleſiæ reconciliationem quamvis ab abſolutione culparum ſejunctam, fuiſſe quandam ceremoniolam, ut hujuſmodi non eſt abſolutio excommunicationis, quamvis à ſacramentali abſolutione culparum diſiuncta. Non erat quidem excommunicatus quicunque publicæ penitentiæ vinculo aſtringebatur; unde Sylverius Papa in decreto quod attulimus num. 10. Pœnitentes ab excommunicatis diſtinguit; adhuc tamen, permultis privabatur bonis, & præſertim jure offerendi cum aliis Fidelibus ad Altare, & poſtea communicandi, quod utrumque jus per eam abſolutionem recuperabat, & in integrum reſtituebatur. Præterquamquod Pœnitens quamvis ſub initium pœnitentiæ culpis abſolutus, iterum in fine ab iiſdem culpis, aliiſque in decurſu pœnitentiæ commiſſis abſolvebatur. Ex pluribus ergo capitibus ea ultima reconciliatio ſimplex cæremonia non erat. Falſum eſt tertiò, quod ea pœnitentia tam aſpera eſſet diſtincta à Sacramento, ut videris ſupponere: ea quippe ut impoſita à Sacerdote abſolvente erat pars integralis Sacramenti. Hinc falſum eſt quartò, eam fuiſſe ab Eccleſia impoſi- 33

tam

tam ſolùm, ut Eccleſiam à ſe offenſam, ſibique infenſam placaret Pœnitens, inque ejus gratiam redire mereretur; cum is quoque fuerit ejus imponendæ finis, ut gravioris culpæ reus Divinæ juſtitiæ ſatisfaceret, ac pœnam temporalem, quam peccando promeruerat, averteret; & preterea piis illis exercitationibus vacans, virtuti aſſueſceret, à relapſu removeretur, *& ſalubri ſatisfactione purgatus*, ut inquit S. Leo à te paulo ante laudatus, *ad communionem ſacramentorum admitteretur*. Addo, nec dicendam incongruam, eam tam aſperam, aut longam pœnitentiam, quamvis ut ſoli Eccleſiæ ſatisfieret, fuiſſet impoſita. Novum quippe, & inuſitatum non eſt, quod in hac vitâ ſeverior ſit humana vindicta, quam Divina, & pax cum Deo offenſo minoris ſtet, quam cum homine. Id enim Divinam bonitatem commendat, at humanam juſtitiam
34 non damnat. Falſum eſt quintò, inhumanum eſſe punire innocentem; ſi ita eſt innocens, ut fuerit reus; ita abſolutus à culpis, ut non fuerit abſolutus à pœnis; ita reconciliatus, ut non fuerit in integrum reſtitutus. Sic autem plerumque reconciliantur Pœnitentes ab ipſo Deo, ut non tota ſimul pœna remittatur cum

cul-

culpâ. Quare citra omnem ſævitiam, tam ſeverè poſt culpam dimiſſam punitus fuit David; & propter culpam Originis, quamvis nobis in Baptiſmo dimiſſam, punimur omnes uſque ad mortem, imo per mortem ipſam, quæ hujus eſt in hac vita præcipua pœna peccati. Hinc totum hoc Morini argumentum ferit primò ipſum Deum, qui tot ærumnis, in hac & in altera vita excoquit animas, quibus culpas dimiſit, adeoque amicas & innocentes. Ferit. 2. humanos omnes Magiſtratus, qui reis utcunque Pœnitentibus eas culpas non condonant, quas verè Pœnitentibus illico condonat Deus; longo ſiquidem ſquallore carceris, aliiſque ſuppliciis conficiunt eos, quos ſubinde Deus in gratiam recepit, adeoque ſanctos, & innocentes. Ferit tandem Eccleſiam, quam poſt aliquot ſecula primam culparum veniam ſtatim dediſſe concedit, ſecundam vero non niſi poſt diuturnam pœnitentiam; Vide cujuſmodi ſint ea, quæ Morinus ex ratione petit.

D. ℟. Nihil ille ex ſola ratione petit, ſed argumenta ex ratione petita multis Patrum, & Conciliorum ſententiis firmat, quas produxiſſem, niſi me parum civiliter interpellaſſes. *D. D.*

D. D. Inane hoc effugium eſt. Quæ enim falſa ſunt, Patrum ſenrentiis probari haudquaquam poſſunt.

D. R. Falſa igitur non eſt ſententia Morini, quæ tam validè probatur ex Patribus,
35 ut oſtendo. Et 1. Clemens lib.2.conſtit.Apoſtol. monet, reum, antequam abſolvatur, eſſe caſtigandum jejuniis aliquot hebdomadarum. 2. Angelus apud Hermetem & ipſum Apoſtolorum diſcipulum, dicit, à Deo non condonari delicta, niſi peccator diu fleverit, ac pœnitentiam egerit, ergo nec Sacerdos Dei vicarius ea condonabat ſtatim, ſed poſt logam pœnitentiam. Verba Angeli apud Hermetem lib. 3. in fine ſimilitudinis ſeptimæ ſunt hec. *Numquid putas, protinus aboleri delicta eorum qui agunt Pœnitentiam? Non proinde continuò, ſed oportet, eum qui agit pœnitentiam, affligere animam ſuam, & humilem animosè præſtare ſe in omni negotio, & vexationes multas variaſque perferre. Cumque perpeſſus fuerit omnia, quæ illic inſtituta fuerint, tum forſitan qui creavit eum, & qui formavit univerſa, commovebitur erga eum clementiâ ſuâ, & aliquod remedium dabit.* 3. Tertull. lib. de Pœnit. cap.6. *Quàm porro ineptum, quàm pœnitentiam non adimplere, & ve-*

& veniam delictorum ſuorum ſuſtinere; hoc eſt
pretium non exhibere, ad mercedem manum
mittere? Loquitur autem de venia culpæ,
quam Deus dat per ſuum Miniſtrum, non
autem de venia canonica, quam præbet Ec-
cleſia, nam ſubjungit, *Hoc enim pretio Domi-*
nus veniam addicere inſtituit. 4. Cyprianus 36
totâ epiſt. 54. ad Cornelium Pontificem, inve-
hitur in eos Sacerdotes, qui non actâ pœni-
tentiâ lapſos abſolvebant. Loquitur autem,
etiam ipſe de abſolutione culpę, nam dicit inde
præberi Novatiano *largiorem materiam decla-*
mandi contra nos, quod videlicet non ſolum
concederetur venia cuivis culpæ, ſed tam fa-
cilè. 5. Innocentius 1. in epiſt. ad Exuperium
Toloſanum Epiſcopum refert, olim quibuſ-
dam conceſſam fuiſſe in morte pœnitentiam,
ſed negatam reconciliationem, nempe abſo-
lutionem culparum, nam vetat amplius id
fieri ex duplici ratione. Prima ea eſt, ut ani-
mæ ab exitio liberentur. Secunda, quia is ri-
gor videbatur proprius Novatiani negantis
veniam peccatorum, ergo ii quibus dabatur
pœnitentia, non abſolvebantur culpis ſuis,
ergo falſum eſt eis fuiſſe primam tuam abſo-
lutionem impertitam. 6. Sæpe quæſitum eſt 37

in

in Conciliis, an deberet in ſacrificio fieri eorum Pœnitentium memoria, qui ſubitâ morte occubuerant. Id quæritur in Carthaginenſi 4. can. 79. Vaſenſi cap. 2. aliiſque. Hoc autem certè quæſitum non eſſet, ſi Pœnitentes fuiſſent ante ultimam reconciliationem abſoluti. Imò S. Leo Papa de hoc ipſo interrogatus à Forojulienſi Epiſc. epiſt. 89. vel 91. negat pro iis orandum, eaque addit, quibus ſe non bene ſperare de eorum ſalute oſtendit; quod ſane non faceret, ſi fuiſſent abſoluti.

387. S. Aug. epiſt. 180. Miniſtros Eccleſiæ à fuga in perſecutione diſſuadet hoc argumento, quod eo præſertim tempore non baptizati petunt Baptiſmum, & Pœnitentes reconciliationem. At quare id petebant in eo mortis periculo, niſi quia ſe non eſſe abſolutos ſciebant? Et confirmatur eâ hiſtoriâ, quam ex Aug. refert Ivo part. 1. cap. 191. & Gratianus de conſecr. diſt. 4. cap. *Sanctum eſt*. Hiſtoria autem eſt hujuſmodi. Catechumenus & Pęnitens ſimul erant in navi, cum ſęva tempeſtas ingruit. In eo mortis periculo Catechumenus petiit à Pęnitente Baptiſmum, & recepit. Inde Pęnitens cum reliqui omnes qui erant in navi eſſent Infideles, petiit à Catechu-

chu.

chumeno jam baptizato reconciliationem, & obtinuit. Subdit Aug. *Pœnitens pro peccato, de quo agebat pœnitentiam, amiſerat ſanctitatem, ſed non amiſerat ſacramentum. Nam ſi hoc amittunt peccatores, cùm reconciliantur poſt pœnitentiam, quare non iterum baptizantur? Dedit ergo quod acceperat, & ne periculosè vitam finiret, non recouciliatus petiit ab eo ipſo, quem baptizaverat, ut eum reconciliaret; & factum eſt.* Igitur ex Aug. is Pęnitens carebat ſanctitate, nempe gratià, & ſi non fuiſſet reconciliatus periculoſe vitam finiiſſet; ergo ſupponit, eum non fuiſſe antea abſolutum. 8. Patres Conci- 39
lii Arauſicani 1. can. 3. ſic ſtatuunt. *Qui recedunt de corpore pœnitentiâ acceptâ placuit ſine recoaciliatoriâ manus impoſitione eis communicare, quod morientis ſufficit conſolationi ſecundum definitionem Patrum, qui hujuſmodi Communionem congruenter viaticum nominarunt. Quod ſi ſupervixerint, ſtent in Ordine Pœnitentium, ut oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus, legitimam Communionem cum reconciliatoria manus impoſitione recipiant.* Hìc nomine Viatici, & Communionis conceſſæ moribundo Pęnitenti, non intelligi Euchariſtiam patet ex Niceni Concilii can. 13. quo cavetur, ne ullus mo-

Digitized by Google

ribundus fraudetur viatico, poſtea verò an ſit
ei danda Euchariſtia , ad examen Epiſcopi re-
mittitur. Nec eo nomine ſignificatur reconci-
liatio ultima & canonica , quæ erat finis , &
veluti fibula pęnitentiæ , quia pręcipitur , ne
ea tribuatur , jubeturque Pęnitens,ſi conva-
luerit, redire tanquam vere non reconciliatus
ad curriculum pęnitentiæ . Significatur ergo
eo nomine abſolutio peccatorum , hæc dari
præcipitur, ergo ſupponitur, non fuiſſe autea
Pęnitentem abſolutum,dum pęnitentiam ac-
40 cepit.9.Patres ſæpiſſimè comparant ultimam
illam Pœnitentis reconciliationem Baptiſmo,
ergo ut Catechumenus non erat baptizatus
antequam Baptiſmo ſolemni expiaretur , ita
reconciliatus ſolemniter , non erat antea ab-
ſolutus ; & rurſus uti Baptiſmus , ita ea ulti-
ma reconciliatio non erat ſola pænarum rela-
xatio, ſed vera abſolutio peccatorum, verum-
que Sacramentum . Alia multa poſſem affer-
re , ſed hæc utpotè validiora ſufficiant .

41 *D.D.* Sed ego quamvis ea non ſper-
nam , non tanti æſtimo , ut inſolubilia judi-
cem . Ut autem meæ Doctrinæ quâ propoſita
argumenta ſolvantur, fundamenta intelligas,
prænotandum eſt primò , non omnes , qui à
Pa-

Patribus & Conciliis vocantur Pœnitentes, fuiſſe in eum Ordinem ipſis petentibus & volentibus cooptatos, nec omnes, qui id peterent, amore pœnitentiæ petiiſſe. Igitur non pauci, ut ex præcedenti diſputatione conſtat, ex ſuorum Antiſtitum, anathemata intentantium metu, Pœnitentiæ jugum ſubibant: alii eidem ſe ſubmittebant, Principum auctoritate, vel timore compulſi: alii, ne ab Eccleſiæ foribus, tanquam Ethnici, vel Hæretici in perpetuum arcerentur. Hos haud quaquam fuiſſe ſtatim abſolutos, ultro concedimus, cum non ſatis conſtaret, intimo & vero eos dolore moveri. De his autem loquitur Clemens, dum vult eos jejuniis ſubjici & probari ante quam abſolvantur. Hinc patet ad primum. His non abſimiles erant non pauci ex 42
illis, qui tempore Cypriani reconciliari petebant, eâ infamiæ notâ, quâ lapſi inurebantur, liberari ſtatim volentes, & liberâ aliorum conſuetudine intra & extra Eccleſiam frui: quare non tam petebant humiles veniam, quam ſuperbi procacibus verbis minisque eam extorquere velle videbantur, quod alibi dolet ac deteſtatur idem Cyprianus. Non igitur abſolvi ullo modo ſtatim merebantur.

Adde quod utrique de plena & ultima reconciliatione loquuntur, quam certè non fuiſſe ſtatim conceſſam fatemur. Hinc patet ad quartum.

43 Prænotandum eſt ſecundo, Patres aliquando, nomine Pœnitentiæ & ſatisfactionis, ſignificare ipſam internam pœnitentiam, vel etiam ipſam externam confeſſionem, quod utrumque abſque dubio prærequiritur ad abſolutionem, & hanc prærequirit Tertullianus in loco citato. Præterquamquod is Doctor, in hac materiâ, in qua ſemper ex nimio rigore aut erravit, aut ad errorem inclinavit, audiendus non eſt..Hinc patet ad tertium.

44 Prænotandum eſt tertiò, Patres, dum dicunt, non tam facilè placari Deum, opus eſſe longo fletu &c. ſic loqui ad retundendam nimiam aliquorum ſecuritatem, qui poſt brevem pœnitentiam tam certò ſe Deo reconciliatos putabant, ut ſuorum peccatorum obliviſcerentur penitus, nec amplius veniam à Deo peterent, perinde ea non commiſiſſent. Et hos redarguere vult Angelus apud Hermetem in loco citato; alioquin nunquam deberet pœnitens ſtatim abſolvi. Hinc patet ad ſecundum.

Præ-

Prænotandum eſt quartò, peccati juſtiſ- 45
ſimam pœnam eſſe privationem auxiliorum efficacium, eorum præſertim, quorum vi, uſque ad mortem in gratia perſeveramus. Quamvis autem Deus condonet culpam, hanc pœnam non tam facilè condonat: unde tam multi, quamvis verè poſt peccata reconcilientur cum Deo, relabuntur poſtea, & damnantur. Id facit, ut Sancti homines, qui olim peccarunt, ſemper à Deo veniam petant, ſemperque petendam flendumque dicant. Dum ergo aſſerunt, Deum non tam facilè reconciliari, & prærequiri longos fletus & labores, non ſignificant eos prærequiri, ut Deus condonet præciſe culpam, ſed etiam pœnam, præſertim prædictam, quâ non condonata, non ſalvamur, nec prærequiri omnino, ſed ut certiores ſimus de noſtra ſalute. Hinc patet iterum ad ſecundum, & ad pleraque quæ afferuntur ex Patribus.

Ad quintum, petitum ex textu Innocentii I. reſponſum eſt diſputatione 3.

Ad ſextum reſpondeo, quæſitum in illis 46
Conciliis fuiſſe, an eſſet orandum in Eccleſia præſertim dum ſit ſacrum, pro iis Pœnitentibus, qui eſſent mortui ante ultimam reconcilia-

liationem, quia ante illud tempus excludebantur in Eccleſia à precibus præſertim Euchariſticis. Cum ergo vivi non communicarent in his precibus, jure dubitatum eſt, an mortui communicare poſſent. Cæterum reſponſio Patrum Vaſentium confirmat, verè datam fuiſſe Pœnitentibus duplicem abſolutionem: reſponderunt enim, habendam eſſe etiam ipſorum memoriam in precibus & ſacrificiis, *Quia nefas eſt eorum commemorationes excludi à ſalutaribus ſacris, qui ad eadem ſacra fideli affectu contendentes, dum ſe diutius reos ſtatuunt, & indignos ſalutiferis myſteriis judicant, ac dum purgatiores reſtitui deſiderant, abſque Sacramentorum Viatico recipiuntur, quibus fortaſſe nec abſolutiſſimam reconciliationem Sacerdos denegandam putaſſet.* Quæ ultima verba innuunt, pluries conſueviſſe Pœnitentes abſolvi, ſed in fine tantum *abſolutiſſimè*, nempe per eam reconciliationem, quâ non ſolum omni culpâ, ſed etiam omni pœnâ abſolvebantur.

47 Quod additur de S.Leone, falſum eſt: non enim eſt probabile, ipſum negaſſe, quod plura Concilia tam juſtè conceſſerunt, & concedendum dixerunt, itaut nefas eſſe putarint

id

id negare, ut putarunt patres Vaſenſes paulo ante laudati, non ergo loquitur de verè pœnitentibus, ſed de iis, qui mortui erant ſine abſolutione, ex culpâ & negligentiâ ſuâ, ſic enim ſubdit. *Nec neceſſe eſt nobis eorum qui ſic obierint* (nempe irreconciliati) *merita actuſque diſcutere, cum Dominus Deus noſter, cujus judicia nequeunt compræhendi, quod ſacerdotale Miniſterium implere non potuit, ſuæ juſtitiæ reſervaverit; ita poteſtatem ſuam timeri volens, ut hic terror omnibus proſit, & quod quibuſdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum enim utile eſt ac neceſſarium, ut peccatorum reatus, ante ultimam diem ſacerdotali ſupplicatione ſolvatur.*

Ad ſeptimum petitum ex Sancto Auguſtino, dehortante Miniſtros Eccleſiæ à fugâ in perſecutione, ut poſſent reconciliare Pœnitentes, qui id in eo periculo petebant, reſpondeo, Pœnitentes utcumque abſolutos jure optimo petiviſſe in morte reconciliationem, & Communionem tum ex ratione, quam attulimus in tertia diſputatione num. 28. tum quia poſt abſolutionem eo medio tempore forte peccatum aliquod commiſerant. Cæterum non deerant, ut ſupra diximus num. 41. 48

ex Pœnitentibus, qui abſoluti non erant, utpote qui pœnitentiam non inchoarant ex vero dolore culparum, qui proinde in eo periculo ex ratione ſpeciali abſolvi petebant. Hiſtoria illius Catechumeni, & Pœnitentis confirmat quod initio monui, nempe ultimam reconciliationem non fuiſſe ſemper ſacramentalem; cum in defectu Sacerdotis, reconciliaret etiam non Sacerdos.

D. R. Quid ergo petiit abſolvi?

49 *D. D.* Ut moreretur cum ea conſolatione recuperatæ pacis cum Eccleſia, quam putavit poſſe ſibi ab eo Catechumeno tribui. Quod ſi ex errore putavit, hominem Laicum poſſe à peccatis abſolvere, non abs re petiit ab eo abſolvi, vel quia poſt acceptam pœnitentiam & primam abſolutionem peccatum aliquod commiſerat; vel quia erat ex prædictis Pœnitentibus non abſolutis ſub initium pœnitentiæ, vel demum ad majorem ſecuritatem, ut facimus omnes, quicumque in morte, quamvis antea abſoluti, iterum confitemur; vel ad exercitium humilitatis, unde invaluerat apud Fideles ille mos, qui etiam tempore Divi Thomæ perſeverabat, nempe confitendi Laico in morte, ſi Sacerdos haberi

non

non poſſet. Quia verò videtur ita narrari illud factum, perinde poſſit Laicus ſacramentaliter abſolvere & remittere peccata; ideo puto, illius hiſtoriæ Auctorem Auguſtinum non eſſe.

Ad octavum reſpondetur, jure Arauſica- 50
nos Patres præcipere, ut in morte abſolvantur Pœnitentes, ſi nomine Viatici ſignificatur abſolutio in morte collata, tum quia, ut modo dicebam, licet antea abſoluti, fortè iterum peccarant, tum quia, forte nec erant abſoluti ex ratione ſuperiùs allata, num. 41. ex qua nec modò abſolvimus ſtatim omnes Pœnitentes, utpote indiſpoſitos. Cæterum nego cum Cabaſſutio in notitia Conciliorũ ad hunc canonem tertium hujus Concilii Arauſicani, nomine *Viatici* intelligi ibi ſolam abſolutionem, ac dico ſignificari veram Euchariſtiæ Communionem, ut omnes intelligimus docti, indoctique, nomine Viatici: cui interpretationi adeo non obſtat Concilium Nicænum, ut ei ſuffragetur ex eodem Cabaſſutio, qui prædictum canonem decimumtertium, ſic ex græco vertit. *Omnimodo autem, de quolibet quomodocumque vita excedente, & Euchariſtiæ participationem petente, Epiſcopus cum exami-*

natione oblationem impertiat. Et quidem miror, à vobis tantum ſtudii impendi in explicandis Patribus contra obvium ſenſum, nempe ad oſtendendum ita nos à majoribus degeneraſſe ut nec amplius eodem ſenſu, quo ipſi ſunt uſi, verba uſurpemus.

51 Ad nonum reſpondetur, quod non ſola ea ultima actio Pœnitentiæ publicæ, nempe reconciliatio Pœnitentis, habebatur nt alter Baptiſmus; ſed tota complexio actionum, quæ fiebant à Pœnitente, & circa ipſum à Miniſtro: quare Pœnitentiam publicam vocabant Baptiſmum, non autem ipſam ſolam reconciliationem ſic vocabant. Addo, neceſſarium non fuiſſe, quòd hæc duo in omnibus convenirent; ut communi eo nomine appel-
52 larentur. Si verò quæratur, an ea ultima Reconciliatio eſſet ſacramentalis, ita ut abſolveret à peccatis, reſpondetur ex dictis, eam neceſſariò talem non fuiſſe, nec potuiſſe ſemper eſſe, cùm aliquando reconciliaret non Sacerdos; igitur talis fuit cum reconciliabat Sacerdos, non erat, cum reconciliabat qui Sacerdos non erat. Quia verò plerumque reconciliabat Sacerdos, ideo plerumque ſacramentalis erat, aut ſaltem poterat eſſe.

Ut

Ut autem ſolvantur reliqua, quæ objici 53
poſſunt ex Patribus; notandum eſt, Patres hac de re agentes (ut in aliis multis) eſſe neceſſariò benignè explicandos, cùm non diſtinguant Pœnitentem publicum à ſecreto, nec unum genus peccati ab alio: non poſſunt ergo intelligi, ut eorum verba ſonant, alioquin (quod ipſe Morinus negat) nec ſecretò confitentes ſtatim abſolviſſet vetus Eccleſia, & à multis tam ſeculis erraret præſens Eccleſia, quæ poſt impoſitam pœnitentiam, antequam ea peragatur, ſolet abſolvere. Hunc autem morem à veſtrum neſcio quo improbatum novimus. Ipſe noſti.

D. R. Quem?

D. D. Auctorem illius damnatæ propoſitionis. *Per illam praxim mox abſolvendi ordo pœnitentiæ eſt inverſus.*

D. R. Novi quidem.

D. D. Damno tuo noviſti. Vereor ne peſtem tibi ſuam affricuerit.

D. R. Pravis Doctoribus adhæſi nunquam.

D. D. Cur ergo tantopere niteris oſtendere, eam fuiſſe Veteris Eccleſiæ praxim, ut venia nonniſi Pœnitentiâ perfunctis daretur?

D. R.

D. R. Ne nimis citò abſolvantur Pœnitentes.

D. D. Videlicet, ut ſtatim abſolvantur nunquam, vel fere nunquam; ipſoque opere damnes, quos verbis non damnas, receptos & perutiles Eccleſiæ mores.

D. R. Utilis certè non eſt abſolutio properata.

54 *D. D.* Id quidem verum eſt, ſi benè intelligatur, ſecus ſi male. Abſolutio properata dicenda ſemper non eſt, quæ non differtur, ſed ea, quæ datur pœnitenti gravibus culpis onerato, vix confeſſo, nihil interrogato, nihil monito, fortè indiſpoſito. Hæc ſane deproperatio damnanda eſt, non autem ea, quâ pœnitens bene confeſſus, probè monitus, ac præbens veri doloris ſigna, nullâ interpoſitâ morâ, ſalubri pœnitentiâ mulctatus abſolvitur. Cur enim Lazarum Divina voce concuſſum, ſua crimina deteſtantem, ſurgentemque de ſepulchro ſuorum vitiorum non ſolvam ſtatim, nec obediam Deo jubenti *ſolvite eum, & ſinite abire*? Sed hac de re ſatis actum eſt diſput. 5. ageturque iterum diſp. 10. part. 2.

CA-

CALUMNIA XII.

Confeſſariis fuit olim permiſſum, aut etiam injunctum, ut pœnitentium peccata, ad eos in officio contitinendos, revelarent.

DISPUTATIO XII.

Doct. Rig. ID ſanè negare audebit nemo, qui veteris pęnitētię diſciplinam non ignorat: ea enim fuit hujuſmodi. Qui ſuarum culparum dolore commotus reconciliari cum Deo, & Eccleſiâ cupiebat, Pœnitentiarium Presbyterum publicæ pœnitentiæ præpoſitum adibat, eique culpas detegebat ſuas. Ille verò quæ audiebat, 1

bat , ſi graviora eſſent , adeo non premebat ſilentio , ut ſtatim perferret ad Epiſcopum , cujus erat ferre judicium,an Pœnitens deberet eaſdem ſuas culpas publicè confiteri, aut permittere , ut ab alio publicè recitarentur . Ne autem credas,hæc à me ſine auctore dici,Tapperum profero , qui art. 5. ubi agit de adjectione factã ab Epiſcopis canoni antiquo , dum conſtituerunt Presbyterum pœnitentiarium (de quo Socrates cap. 19. lib. 5.) hæc habet *continebat autem hæc Epiſcoporum adjectio , quod ad Epiſcopum referret hic Pœnitentiarius peccata audita , maximè enormia , quamvis SECRETA , & per eum publicè recitarentur in Eccleſia*. Profero Lindanum Panopliæ lib.4. cap.69. & Pamelium in adnotationibus ad tractatum Sancti Cypriani de lapſis , & præſertim initio Adnotationum ad librum Tertulliani de pœnitentiã , ubi agens de prædictis Presbyteris pœnitentiariis dicit , tunc *fuiſſe minora peccata perpetrata,tum ob verecundiam,tum ob ſeveritatem eorum,qui judices erant conſtituti : quippe qui peccata ſibi privatim confeſſa , populo publicare fuerint ſoliti , & ſic*
2 *cogere ad pœnitentiam publicam ?* Ex quibus tria manifeſtò inferuntur 1.conſueviſſe Cõfeſ-

ſarios

Digitized by Google

ſarios ſaltem poſt Novatum pulicare peccata graviora, quæ per ſecretam Confeſſionem audierant. 2. Id factum non ſolum permittente Eccleſiâ, ſed mandante, nam dicunt hanc fuiſſe adjectionem factam ab Epiſcopis canoni antiquo. 3. Id factum ad continendos in officio fideles, qui ne publicam eam infamiam, ſeù notam incurrerent, à peccatis abſtinebant, adeoque valde fructuoſam hanc praxim fuiſſe, ut expreſſe notat Sozomenus cap. 16. lib. 7. & ſatis indicat Socrates loco cit.

3 Hanc autem Praxim fuiſſe toti Eccleſiæ communem, & non propriam ſolius Eccleſiæ Orientalis, colligitur ex prædictis duobus Scriptoribus, & prẹſertim ex Sozomeno, quin orta videtur in Eccleſia Occidentali in qua fuere Novatiani, quorum ætate, & occaſione, ea invecta dicitur, & ab Orientali etiam Eccleſiâ recepta.

4 Prædictus mos perferendi ad Epiſcopum peccata Pœnitentium confirmatur ex eo, quod ad Epiſcopum ſolum pertinebat ex jure ordinatio non ſolum reconciliare Pœnitentem, ut conſtat ex multis decretis Conciliorum, ſed etiam pœnitentiam imponere

pro

pro qualitate delicti ut decernitur in Concilio Carthag. 3. can. 31. *Pœnitentibus ſecundum peccatorum differentiam Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur*. Ergo debebat Epiſcopus certior fieri, & quidem in ſpecie de commiſſis Pœnitentium delictis: non ab ipſis Pœnitentibus cum non poſſet audire omnium confeſſiones, ergo à Confeſſariis ipſorum.

4 Certè negari non poteſt, aliam fuiſſe olim de obligatione ſacri Sigilli doctrinam, aut perſuaſionem apud Patres, quam modò ſit apud Theologos. Nam docent modò Theologi omnes, frangi Sigillum, ſi Confeſſarius peccatum grave Pœnitentis prodat, quamvis ſolum in genere, dicendo ipſum grave peccatum eſſe confeſſum. Id autem olim Confeſſarii impune, & ſine timore culpæ fecerunt, ut patet ex hiſtoria, quam refert Petrus Damiani Epiſt. 32. lib. 6. Ep. Narrat enim, quemdam Monachum morti proximum, antequam Sanctum Viaticum quod ei delatum jam fuerat, acciperet, *ſibi unum ex fratribus applicuiſſe, ejuſque in aures neſcio quod grave peccatum inſuſurraſſe*. Id autem, ſibi relatum ab ipſo met Confeſſario fuiſſe,

ita

ita dicit idem Petrus, ut clarè appareat, non conſueviſſe tunc tribui culpæ, quod eo modo proderent Confeſſarii Pœnitentium peccata: nihil enim dicit quo Confeſſarii factum improbare ſe ullo modo oſtendat, totuſque eſt in eo Monacho qui uſque ad illud tempus diſtulerat confiteri, perſtringendo; cum longè magis redarguendus eſſet Confeſſarius, ſi eo tempore viguiſſet hæc, quæ modo viget, Peccatorum, quæ quis ex confitente audivit, alto ſilentio premendorum ſeveriſſima diſciplina.

Iidem Theologi modò docent, reſignari ſacrum Sigillum, ſi Pęnitens cogatur facere pro occulto delicto publicam pęnitentiam, ex qua cognoſcatur grave aliquod peccatum à Pęnitente fuiſſe commiſſum: perinde enim eſt, quod cogatur Pęnitens id revelare, ac quod ipſe Confeſſarius revelet: eadem enim infamia reſultat in Pęnitentem ex utroque caſu, eademque ſequitur confitendi difficultas. Nec facit quod in primo caſu Pęnitens voluntariè ſubeat illud onus, dum voluntariè & liberè adimplet eam publicam pęnitentiam, nam etiam in altero caſu voluntariè ſubiret illud onus, dum voluntariè & liberè 7

confi-

confiteretur, ſciens ſuum peccatum à Confeſſario revelandum. Quod autem olim, etiam pro delictis occultis, imponeretur publica pęnitentia, teſtantur innumeri Scriptores antiquitatis ſtudioſi. Eſt igitur certum, ab Eccleſia veteri non fuiſſe ſacramentum pęnitentiæ ita adminiſtratum, ut Pęnitentis confeſſio nullo modo proderetur: Hinc nullo veteri Concilio nullo Pontificum antiquorum decreto ante Innocentium III. cautum fuit, ne audita in confeſſione revelentur, nec ullum hac ſuper re veteres Patres verbum habent. Non igitur à nobis calumnioſè dicitur, quod ipſe tanquam calumniam initio recitaſti.

7 *D. D.* Satis ex his intelligo, quid ſentias de ſacro ſigillo, nempe ejus cuſtodiendi legem non eſſe verè ab hujus ſacramenti inſtitutore Chriſto Domino profectam, ſed ab Eccleſia per Innocentium III. in capite *omnis utriuſque ſexſus* vel paulo ante, ſancitam. Hæc autem ipſiſſima eſt Hæreticorum doctrina, qui iiſdem argumentis, quibus tu moveris ad dicendum, legem ſacri Sigilli non eſſe Innocentio III. antiquiorem, probare nituntur, non eſſe eodem antiquiorem confeſſionem auricularem, vel ejus uſurpandæ præceptum.

Nec

Nec ſanè unum ab altero diſiungi facile poſſit. Unde miror, prædicta argumenta à te proponi, tanquam nihil dubites de veritate ſententiæ. Sed hæc eſt communis rigidiorum Do- 8
ctorum, Novatorumque perſuaſio, id ſolum ad Religionem à Chriſto inſtitutam pertinere, quod in Veterum ſcriptis, monumentiſque reperitur dilucidè, expreſsè, diſertiſſimèque traditum: perinde nulla ſit in Eccleſia à Patribus per filios moribus tranſmiſſa doctrina, quam verbum traditum appellamus; nec Deus Eccleſiæ ſuæ clavem ſcientiæ dederit, quá ſacras ſcripturas, ipſorumque Veterum Patrum ſcripta, pro temporum opportunitate reſeraret, & reconditos inde veritatum, legumque theſauros depromeret. Latuit olim, diuque latuit ipſos Hebræos ſacræ paginæ cuſtodes doctoreſque Myſterium Trinitatis, quamvis in ipſis Scripturis contentum; multa, quæ continentur in Euangelio, latuere Chriſti diſcipulos ante diem Pentecoſtes, quo facti ſunt Scripturarum interpretes, & legis novæ Doctores. Incerta fuere tot alia præteritis ſæculis, quæ poſterioribus Conciliis definita, tanquam certiſſima credimus & profitemur. Potuit ergo aliquid ad Sacramenti inſti-

tutionem verè pertinens, diù latere, quamvis in ſcripturis contentum, quod poſtea fuit traditum & explicatum. Hujuſmodi tamen non
9 eſt lex ſacri Sigilli. Fuit illa Patribus non ignota, & quâ decuit ſeveritate cuſtodita.

D. R. Cur ergo de illa tam altum longumque ſilentium, nempe uſque ad decimum tertium ſeculum?

D. D. Quia de ea agere non fuit opus, utpote omnibus exploratâ, ab omnibus admiſſâ: ex qua eadem ratione, ut notat Cardinalis de Lugo diſp. 23. de pœnitentia ſect. 1. num. 1. Concilium Tridentinum, quamvis tam multa de Confeſſione, aliiſque ad eam pertinentibus doceat, nihil circa ſacrum Sigillum docet, aut definit: Nullus enim Hæreticus, qui confeſſionem admiſerit, ipſum ſeveriſſimè cuſtodiendum negavit.

10 Verùm nihil me cogit hoc tibi concedere, nempe nihil apud veteres Scriptores reperiri, unde colligatur conſueviſſe veteris Eccleſiæ Sacerdotes religioſo ſilentio ſupprimere, quæ à Confitentibus audiviſſent; imo non pauca ſunt, quæ falſum id eſſe demonſtrant. Seligo duo illuſtriora. Refert Sozomenus eo cap. 16. lib. 7. conſueviſſe Epiſcopos, poſt hæreſim

reſim Novati eum eligere in Presbyterum Pœnitentiarium, qui ſecreti eſſet apprimè tenax, quod ſane inutiliter, inſipienterque factum eſſet, ſi idem Presbyter, ex munere ſuo, Pœnitentium culpas etiam occultas, publicare debuiſſet. Eſt igitur manifeſtè falſum, quod ex Tappero, Lindano, & Pamelio dicebas, eam nempe fuiſſe prædicti Presbyteri Pœnitentiarii provinciam, ut audita in Confeſſione ad Epiſcopum deferret. Et ſane ſi hoc fuiſſet hujus Pœnitentiarii munus, Sacerdos ille Pœnitentiarius, qui Conſtantinopoli, celebris illius matronæ confeſſionem excepit, Nectarium de Mulieris ſacrilegio monuiſſet, quod ille non fecit, ſed ipſe, Epiſcopo penitus inconſulto, ſententiam dixit, & pœnitentiam publicam impoſuit. Ex quo facto colligitur, non fuiſſe ubique receptam eam legem, ut Pœnitentiarii Sacerdotes Epiſcopum conſulerent, priuſquam imponerent pœnitentiam. Ubi verò ille mos receptus fuit, tunc ſolùm 11
Pœnitentiarii Sacerdotes Epiſcopum adibant, tanquam arbitrum publicæ Pœnitentiæ, vel ad eum Pœnitentem mittebant, cùm delictum atrox erat & publicum, ut patet ex eo Hincmari Remenſis edicto ad ſuæ diœceſis

Parochos, quod recitat Sirmondus in hiſt. pœnit. publ. cap. 6. Eſt autem hujuſmodi. *Unuſquiſque Sacerdos maximam providentiam habeat, quatenus ſi fortè in Parochia ſua publicum homicidium aut adulterium, ſive perjurium, vel quodcunque criminale peccatum publicè perpetratum fuerit, ſtatim ſi auctorem facti, vel conſentientem adire potuerit, hortetur eum, quatenus ad pœnitentiam veniat coram Decano, & Compresbyteris ſuis, & quidquid ipſi inde invenerint, vel egerint, hoc comminiſtris noſtris, Magiſtris ſuis, qui in civitate conſiſtunt, innoteſcat; ut infra quindecim dies, ad noſtram præſentiam, ſi intra Parochiam noſtram fuerimus, veniat; & juxta traditionem Canonum publicam pœnitentiam cum manus impoſitione accipiat.*

12 Alter locus illuſtrior præcedenti eſt ea celebris S. Leonis primi epiſtola ad Epiſcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum conſtitutos, quam recitavimus diſp. 6. num. 18. Ibi enim Sanctiſſimus Pontifex diſertis verbis damnat iſtam, quam tu dicis fuiſſe Eccleſiæ veteris conſuetudinem, publicandi Pœnitentium occulta delicta; eamque dicit paulo ante ſibi innotuiſſe, quamvis illæ provinciæ parum ab Urbe diſtarent. Fuit igitur res no-

va,

va, reprobata, ac ſtatim extincta. Rurſus eam vocat *improbabilem conſuetudinem*, *illicitam uſurpationem, præſumptionem contrariam regulæ Apoſtolicæ*, non igitur ea fuit Eccleſiæ conſuetudo, ſed aliquorum deflectentium à regulis Apoſtolorum, qui hujus ſacri ſigilli leges à Chriſto ſancitas, Eccleſiam docuerunt, unde ibidem bene colligit idem Pontifex, ſufficere confeſſionem ſecretam, non enim ea ſemper ſufficeret, ſi unquã Confeſſario liceret ſuo jure Confitẽtis ſcelera revelare. Igitur ab ipſo tempore Apoſtolorum uſque ad Leonem, inviolatũ fuit in Eccleſia Cõfeſſionis ſacramentalis ſigillum, ergo etiam poſtea, tum quia nunquam Eccleſia receſſit à Regulis Apoſtolorum, tum quia ſi quod habet argumentum veſtra ſententia, à prioribus ſeculis petitur. Cum ergo probaverim priorum temporum Eccleſiam à Regulis Apoſtolicis non deflexiſſe, nec deflexiſſe credenda eſt Eccleſia temporum poſteriorum.

Quod ex Petro Damiani narraſti, adeo 13 mihi non obeſt, ut proſit. Non enim æger ille Monachus *applicuiſſet* ſibi Confeſſarium, *ejuſque in aures* ſubmiſsâ voce *peccatum ſuum inſuſurraſſet* ſolicitus ne ab adſtantibus audire-

tur, ſi tunc Confeſſariis licuiſſet audita à Pœnitentibus prodere, ac publicare. Certe id licere non putavit Petrus Damiani vir doctiſſimus, quique (ut refert Card. Bellarminus de Pœnit. lib. 3. cap. 10.) in ſerm. de S. Andrea loquens de Sacerdote Confeſſario, *Videat* (inquit) *ne unquam de his, quæ ſub ſignaculo Confeſſionis accepit, aliquam faciat mentionem*.

D. R. Cur ergo Petrus factum narrans, loquacioris Monachi ſacrilegium non damnat?

D. D. Quia ille non erat damnandi locus. Erat enim aliud illius epiſtolæ argumentum.

D. R. At incredibile prorſus eſt, Monachum illum, auſurum prodere Petro Damiani homini rigidiſſimo quæ audierat in Confeſſione, ſi putaſſet id eſſe ſacrilegium. Non putavit ergo.

D. D. Quid inde?

D. R. Ergo ea tunc erat Eccleſiæ perſuaſio, poſſe ſine delicto revelari ſaltem in genere ſcelera Pœnitentium.

D. D. Nego conſequentiam. Non enim in uno Manacho tota claudebatur Eccleſia. Igitur non fuit ea Eccleſiæ perſuaſio, ſed fortè

illius

illius Monachi; qui non admodum doctus putavit ſatis eſſe ſpecies delictorum reticere, quod ille religioſiſſimè fecit, vel minùs arctare ſacri ſigilli legem, poſtquam Pœnitens è vita migravit, æger enim Monachus objerat, cum is ejus cõfeſſionem prodidit. Nec dubito, multos circa milleſimum (ea enim fuere infeliciſſima Eccleſiæ tempora) in abſurdas circa hoc opiniones abjiſſe. Quare mirum non eſt, quòd poſt ea tempora, tam ſæpè Pontifices, & Concilia monuerint Confeſſarios, ut ſacrum ſigillum cuſtodiant, cùm præſertim jam cepiſſet frequentiùs uſurpari auricularis, & ſecreta Confeſſio, ac proinde frequentius jam eſſet hujus ſacrilegii committendi periculum. Ex qua eadem ratione, ex eo tempore frequentiùs monent Patres, ne pro delictis occultis imponatur hujuſmodi pœnitentia, ex qua delictum ipſum cognoſci poſſit. Quod genus pœnitentiæ nunquam ab Eccleſia impoſitum fuiſſe, ſatis oſtendi diſp.7.

D. R. Adhuc tamen eruditi repugnant, & repugnaret, ut arbitror, Morinus. 14
Ut ut enim, multa ejus argumenta ſolveris, non videris ſolviſſe præcipuum, quod ille petit ex ea veteris Eccleſiæ conſuetudine ſu-

ſpendendi vel deponendi Clericum pro aliquibus delictis, quamvis clanculum ea perpetraſſet. Ea enim tua reſponſio non ſemel tradita, quod ea Clerici ſuſpenſio vel depoſitio Cenſura quædam eſſet, aut pœna Cenſuræ ſimilis, non autem pœnitentia ſacramentalis, Morino viſa eſt prorſus inutilis primò, quia adhuc verum eſt, quod præcipuè ipſe intendit, nempe Eccleſiam antiquam pro occulto delicto pœnam publicam Clericis irrogaſſe, & quidem talem, ex qua faciliùs deveniri poterat in cognitionem delicti occulti, quàm ex quavis pœnitentiâ Laico impoſitâ, cùm eſſet inuſitatum quod Sacerdos ſeſe munere ſuo, vel gradu ſponte abdicaret, ergo ſi vetus Eccleſia eam pęnam Clericis clam delinquentibus impoſuit, potiori jure pęnitentiam publicam Laicis clanculum in quædam crimina lapſis impoſuit, nam ſi delinquentis *honori, & famæ conſulendum fuit, id ſane potius factum oportuit Clericis, quam Laicis.* Secundò, quia pęnitentia publica fuit quædam Cenſura, ideſt verè, & ſubſtantialiter excommunicatio, ergo ſi potuit Eccleſia cenſuram infligere pro occulto delicto, potuit etiam pro eo pęnitentiam publicam imponere. Tertiò quia

in

in veteri Eccleſiâ non fuit ea diſtinctio fori
interni ab eſterno,ea igitur pęna depoſitionis,
vel ſuſpentionis fuit Clerico inflicta in foro
interno, ergo quandoquidem pęnitentia pu-
blica fuit, eaque inflicta pro occulto delicto,
colligitur manifeſtè, veterem Eccleſiam pro
delictis etiam occultls pęnitentiam publicam
in foro ſacramentali impoſuiſſe. In hunc fere
modum Morinus toto fere libro 5. & preſer-
tim cap.11. & cap.26. & lib.1.cap.10.

D. D. Sed,ſi vera ſunt hæc, jam falſum 15
eſt, quod idem Mnrinus toto cap. 19. lib. 2.
docet, nempe, *Eccleſiam continuâ traditionè
ab Apoſtolis accepiſſe, Confeſſionis ſigillum nun-
quam eſſe reſignandum.* Et quidem,niſi tot aliis
argumentis mihi conſtaret hujus Doctoris
ſinceriſſima fides, & ſingularis pietas, dice-
rem, voluiſſe eum Lectoribus illudere, ſanæ-
que doctrinæ errores intermiſcere. Quâ enim
ratione iſta duo cohæreant, *Eccleſiam continuâ
traditione ab Apoſtolis accepiſſe, Confeſſionis
ſigillum nunquam eſſe reſignandum*; & ſimul,
*eandem Eccleſiam publicaſſe, ſaltem iu genere,per
prædictas pœnitentias depoſitionis, & ſuſpenſio-
nis, Pœnitentium occulta delicta*, quod non
uno libri capite probare curavit, ut illud pri-
mum,

mum, ſed toto fere libro 5. ut ipſe idem dixiſti. Igitur ſi primum eſt verum, ut abſque dubio eſt, nequit eſſe verum etiam alterum.

16 Ad argumentum propoſitum, iterum nego quod negavi diſp. 7. fuiſſe Clericum in foro conſcientiæ mulctatum pœnâ depoſitionis, ſeù ſuſpenſionis. Igitur deponebatur quidem, vel ſuſpendebatur Clericus pro aliquo occulto delicto, ut modò etiam fit, non tamen per ſententiam prolatam à Confeſſario, & ex notitia delicti habitâ ex ipſa Clerici Sacramentali Confeſſione, ſed vel per ſententiam prolatam à Clerici Superiore in foro externo, ex notitia delicti habita extra Sacramentalem Confeſſionem, vel facto ipſo ut modo incurritur pœna cenſuræ, quæ proindè duplex eſt, alia ſententiæ ferendæ, quæ incurritur poſt Judicis ſententiam, alia latæ ſententiæ, quæ facto ipſo incurritur, adeoque ante ſententiam Judicis, ex eo quod fiat id quod à lege ſub ea pœna prohibetur. Poſſe autem in foro eterno puniri publicâ pœnâ occultum delictum, eſt indubitatum, ut dixi diſput. 7.

17 Hinc ad primam probationem reſpondeo, quod ſi Morinus id prçſertim intendit,

nempe

nempe, Clericorum etiam occulta delicta fuiſſe ab Eccleſia pœnâ publicâ caſtigata; operam perdit; non enim id modò quæritur, an Eccleſia palàm punierit clanculum commiſſa, ſed an id fecerit in foro ſecreto Pœnitentię. Quod ſi ex primo colligit, potuiſſe fieri ab ea etiam hoc alterum, oſtendit, ſibi non eſſe ſatis perſpectam naturam, & inſtitutionem Confeſſionis Sacramentalis, quæ ea eſt, omnium Theologorum judicio, ut delicta per ipſam ſolam cognita aliis manifeſtari, aut indicari nullo prorſus modo, adeoque nullo aut verbo, aut facto poſſint. Si enim ſemel admittatur aliquis caſus, in quo hæc manifeſtatio, aut indicatio liceat, facilè multi caſus eſſe hujuſmodi putarentur, vel ſaltem facillimè Fideles ſuſpicarentur, ne ſuus caſus cenſeretur à Confeſſario eſſe ille, in quo revelatio liceat, quæ ſuſpicio redderet pleriſque peccantibus prçeptum confitendi adeò arduum, & odioſum, ut vix ullus Confeſſionem rite obiret, quod profectò colligitur ex ingenti difficultate, qua modò Peccatores detegunt Confeſſori culpas ſuas, quamvis hæ prodi in nullo unquam caſu poſſint. Ergo ſi ſcirent, detegi eas poſſe, inſuperabilem

prope-

propemodum difficultatem prȩceptum Con-
feſſionis haberet, qualem certò continere
non debet ullum præceptum, ne ſit commu-
nis occaſio ruinæ, & multò minus illud quod
Chriſtus impoiuit dum Sacramentum ex ſin-
gulari in nos benevolentia, & miſericordia
inſtituit. Eſt igitur aſſerendum, prædictum
Sigillum eſſe omninò irreſignabile. Quare
optimè Navarrus ſic ratiocinatur ſuper cap.
18 *Sacerdos* de pœnit.diſt.6. num.118. *Nihil ma-
li adeò grave occurrere poteſt, quo non ſit gravius
& pejus Eccleſiȩ Chriſtianȩ, Confeſſionem Chri-
ſtianis exoſam fieri, & abominabilem. At ſimul
ac conceſſerimus Confeſſionem contrà confitentis
voluntatem revelari poſſe, exoſa fiet illa, & toti
Eccleſiȩ moleſta, ergo obnullam cauſam id fieri po-
teſt.* Ex quo eodem principio colligit Card.
de Lugo de Pœnit. diſp.23. ſect. 5. num.97.
non ſolùm non poſſe Confeſſarium revelare
directè, vel indirectè peccata pœnitentis, ſed
nec uti notitià habità ex Confeſſione cum
ullo grvamine, aut damno Pœnitentis in ho-
nore forturis, muneribus, officiis &c. Quare
ea cujuſdam veſtri Doctoris propoſitio, *Scien-
tiā ex Confeſſione acquiſità uti licet, modò fiat
ſine directā, aut indirectā revelatione, & gra-*
vami-

vamine Pœnitentis, niſi aliud multò gravius ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur, fuit Romæ ann. 1682. ſapientiſſimè proſcripta, *quatenus admittit uſum dictæ ſcientiæ cum gravamine pœnitentis*.

Ex his patet, nullam vim habere illud Morini argumentum petitum ex eo, quod ſi Eccleſia potuit non conſulere famæ Clerici, ipſum ſuſpendendo propter occultum delictum, unde ille infamabatur, à fortiori potuit non conſulere famæ, & honori Laicorum; adeoque eos damnare, etiam propter occulta delicta ad publicam pœnitentiam, quæ minus Laicum infamabat, quàm ea ſuſpenſio Clericum infamaret. Nam vel loquitur de Eccleſiâ puniente in foro interno, & neutrum facere potuit; vel loquitur de Eccleſia puniente in foro externo, & utrumque facere potuit; facitque aliquando.

At cur Eccleſia poteſt in foro externo 19
propter occultum delictum pœnam infligere, quâ quis infamatur; non poteſt id facere in foro interno?

Quia illud primum nullâ lege prohibetur Eccleſię, imò nec ulli legitimo Principi. Hoc autẽ alterum vetitũ fuit à Chriſto Domi-

no,

Digitized by Google

no, qui ſic inſtituit hoc Sacramentum, ut ex eo nulla infamia, nullumque damnum redundaret in Pœnitentem.

20 Ad ſecundam probationem, quâ dicitur publicam pœnitentiam fuiſſe veram Cenſuram, nempe *verè, & ſubſtantialiter Excommunicationem*, reſpondeo, id eſſe manifeſtè falſum, nec poſſe aſſeri à non ignorante quid publica Pœnitentia fuerit, quidque fuerit, & ſit ea Excommunicatio, quæ appellatur Cenſura; hec enim non eſt ſola privatio Communionis Euchariſticæ (quam pœnam certè continebat publica pœnitentia) alioquin Confeſſarius ex juſta cauſa Pœniténti Communionem Euchariſticam pro certo quodam tempore interdicens, Pœnitentem excommunicare diceretur, ſed eſt etiam privatio civilis Communionis, aliorumque bonorum, quibus certè publicus Pœnitens non privabatur, hinc Sylverius Papa qui anno 535. regebat Eccleſiam; apertè excommunicatos à Pœnitentibus diſcriminat hoc ſuo decreto, cujus meminit Burchard. lib. 5. cap. 19. & Ivo decreti part. 2. cap. 29. *Singulis diebus Dominicis in Quadrageſima, præter hos qui excommunicati ſunt, & præter illos, qui in publica Pœnitentia*

tia

tia ſunt, Sacramenta Corporis, & Sanguinis Chriſti ſumenda ſunt. Rurſus Cenſura, communi Canoniſtarum, Theologorumque veterum, & recentiorum ſuffragio, infligitur impenitentibus, ſeu contumacibus, at publica pęnitentia imponi debebat Pœnitentibus. Item publica Pœnitentia, ut ex innumeris Patrum & Conciliorum textibus conſtat, petebatur plerumque, & quidem ſummis precibus, tanquam beneficium, hinc aliqui dicebantur habere jus ad Pœnitentiam, aliqui non, & ad primam dabatur jus, non autem ad ſecundam. E contra, nemo unquam petiit excommunicari, ſuſpendi, aut Interdici: nec Cenſura fuit unquam habita loco beneficii, aut commodi, ad quod jus haberetur. Tandem cenſuræ finis eſt Rei pęnitentia, ſeu reſipiſcentia, ut loquuntur, at Pœnitentiæ finis eſt peccati, ſeu penæ debitæ pro peccatis remiſſio, hinc cenſura tolli ſtatim debet, ac reus reſipiſcit, ac proinde certam, ac definitam durationem non habet; nec infligitur, ut certo aliquo tempore perſeveret, ſecus pęnitentia, quæ imponebatur tanto ac certo tempore duratura, ex.gr. toto triennio, quinquennio, ſeptennio duratura,

licet

licet poſtea pro merito Pœnitentis corriperetur. Quis non miretur hæc tam diverſa à viro tam erudito confundi?

21 Verum quidem eſt, in aliquibus excommunicatos cum publicè pœnitentibus convenisse, nam ut illi, ita hi initio præſertim pœnitentiæ myſteriis Divinis cum celebrabantur, adeſſe non poterant, & rurſus utrique jure Oblationis, & Communionis privabantur, & neutri jus dicere poterant. Sed ſi quæcunque in aliquibus ſimilia ſunt, eadem eſſent, jam omnia idem forent.

22 Ad tertiam probationem, petitam ex eo, quod in veteri Eccleſiâ fuerit unum tantùm forum, reſpondeo, eam peti ex falſo, ut error manifeſtus, qui inde infertur, oſtendit. Si enim unicum fuit in Eccleſia veteri forum, nullus fuit in ea uſus Sacramentalis Confeſſionis, quod probo ſic. In Eccleſia veteri fuit abſque dubio forum externum quod internum non fuit, ergo ſi in ea fuit unum tantum forum, externum ſolum fuit, ergo non fuit in ea forum ſacramentale, quod internum eſt. Quod autem fuerit in Eccleſia veteri forum externum, quod internum non fuit, oſtenditur primò ex terribili illâ Divi

Pau-

Pauli ſententiâ, quâ Corinthium, hominem inceſtuoſum tradidit Satanæ. Eam quippe tulit Paulus abſens, & in hominem non accuſantem ſe, ſed accuſatum, adeoque non tanquam Confeſſarius, ergo non in foro interno, ſed in ſolo foro externo, adeoque in foro externo, quod internum non fuit. Oſtenditur ſecundò, ex tot Conciliorum, Epiſcoporumque decretis, pœnas ſtatuentibus, quibus afficerentur impœnitentes & contumaces, quæ ad aliquod forum pertinent; non ad internum, ad quod utpote forum pœnitentiæ, pertinere non poſſunt impœnitentes, ergo ad forum externum quod internum non fuit. Oſtenditur tertiò ex tot aliis eorundem decretis, ſeu canonibus, quibus ſtatuitur, ut ſeveriùs puniantur denunciati & convicti. Quis autem dicat, denunciationem, & punitionem Rei negantis, ſeu ſponte non confitentis, & aliorum teſtimonio convicti, pertinere ad forum internum, in quo nemo accuſatur ab altero, nemo contra alterum teſtatur, nemo convincitur, ac tandem nemo punitur, niſi ſponte confeſſus? ergo pertinebant ad forum externum, quod internum non erat. Oſtenditur quartò illi omnibus ar-

gumentis quibus ipſe in decimâ diſputatione probaſti, fuiſſe aliquando reos coactos ſubire pęnitentiam, adeoque per vim fuiſſe ab Epiſcopis comprehenſos, carceri mancipatos, flagellis cęſos. Quis autem dicat, has actiones violentas, quæ certè fiebant ab habente jurisdictionem & forum, pertinuiſſe ad forum internum & voluntarium, factaſque ab Epiſcopis fuiſſe tanquam Confeſſariis? ergo pertinebant ad forum externum, quod internum non erat, ergo fuit in Eccleſia veteri forum externum quod internum non fuit, ergo ſi fuit in ea unicum tantum forum, ſolum externum fuit, ergo ſi verum eſt, quod dicit Morinus, non fuit in ea forum ſacramentale, quod internum eſt. Sed hoc ſalvâ fide, dici non poteſt, ergo falſum eſt, quod in Eccleſia veteri fuerit unum tantum forum, ſed verè duplex fuit, externum unum, alterum internum.

Nec facit, quod omnia dirigerentur ab
23 Epiſcopis ad pœnitentiam & curationem delinquentis; quodque Pœnitens, dum tandem reconciliabatur, abſolveretur ſimul (ut putat Morinus) à peccatis, & à quibuslibet pęnis. Nam etiam modò Cenſuræ infliguntur

ad

ab Epiſcopo intendente reſipiſcentiam, & curationem delinquentis, & rurſus ſubinde idem Sacerdos Pœnitentem à cenſuris, & peccatis in foro ſacramentali abſolvit, nec tamen unicum modò Eccleſiæ forum eſt cenſuras infligens, & pęnitentiam imponens, à cenſuris, & à peccatis abſolvens.

24 Satis per hæc Morino reſponſum eſt, oſtenſumque, veteris Eccleſiæ Confeſſarios, nec verbo, nec facto, ſignoque ullo confeſſionis ſacramentalis ſigillum reſignaſſe, adeoque pro delictis occultis nec ſuſpendiſſe unquam Clericos, nec publicam Laicis pœnitentiam irrogaſſe, idque eſſe adeo verum, ut mirer negari ab eo potuiſſe, qui Sacramenti Pœnitentiæ iuſtitutionem & veteris pęnitentiæ diſciplinam non ignoravit, quorum neutrum ſatis perſpectum habetis quicunque eſtis rigidi Doctores. Illud autem primum ignoratis præſertim, hinc reliqui errores. Sacramentum Pœnitentiæ videlicet vobis fingitis aliud ab eo quod Chriſtus inſtituit, hinc aliam ab eâ quæ viguit, fuiſſe putatis veteris Eccleſiæ iu adminiſtrando hoc ſacramento diſciplinam; hinc illæ calumniæ, quas hacte-

nus diſiicere curavi, hinc (uno verbo) totus Rigoriſmus veſter, cujus illud unicum ſeu præcipuum remedium eſt, ut primum illum errorem ex quo hoc malum oritur, deponatis, ac probè intelligatis; voluiſſe Chriſtum Dominum, ut Sacramentum pęnitcutiæ ſit ſacramentum miſericordiæ, ſacramentum mortnorum, ideſt peccatorum & rurſus ſacramentum iiſdem neceſſarium. Ex eo, quod eſt ſacramentum Miſericordię & condonationis, nõ debet rigidè, ſed miſeticorditer miniſtrari. Ex eo quod eſt ſacramentum mortuorum ideſt peccatorum, debet infirmis, & imbecillis accommodari. Ex eo quod eſt Sacramentum omnibus peccatoribus neceſſarium, non debet ulli peccatori ritè petenti denegari, aut facile differri. Ex eo quoque quod eſt omnibus neceſſarum, exoſum reddi non debet, ac nimis difficile, ergo nec publica larentium peccatorum eonfeſſio, aut pęnitentia præcipienda eſt, nec aſperior, aut longior plurium annorum pęnitentia injungenda, nec demum peccata ex confitentibus audita prodenda ſunt unquam, aut indicanda. Ergo nihil horum fecit vetus Eccleſia, quæ errare non potuit, ac proinde calumniæ ſunt illæ, quas
pri-

primâ hac mei Operis parte diſiicere curavi : Ergo(quod probandum mihi erat alterâ parte) non errat præſens Eccleſia quæ nihil horum facit, quæque benignior quidem eſt veteri Eccleſiâ, ſed ei nihil contraria, ut nihil contraria eſt inſtitutioni benigniſſimi Sacramenti.

FINIS.

INDEX RERUM NOTABILIUM,

Quæ hoc primo libro continentur.

Prior numerus Diſputátionem iudicat, poſterior numerum marginalem.

A

ABſolutio an negata olim Clericis in majora crimina prolapſis. Diſp. 1. *per totam. An quibuſdam etiam Laicis inſigniter criminoſis*. Diſp. 2. *per totam*. *An negata iis qui diſtalerant in mortem agere pænitentiam*. Diſp. 3. *per totam*. *An negata reis damnatis ad mor-* Diſp. 4. *per totam*. *An negata Relapſis poſt ſolemnem Pænitentiam*. Diſp. 5. *per totam*.

Abſolutionem in morte nemini denegandam ſtatuunt Cœleſtinus, & alii Pontifices. Diſp. 2. num. 6. & D. 7. n. 17.

Abſolutio dilatane fuerit olim ad finem Pænitentiæ an conceſſa etiam ſtatim poſt Confeſſionem? Diſp. 11. *per totam*.

Abſolutionem differre anceps remedium nec facilè adhibendum. Diſp. 5. num. 41. *Regulæ*

in hoc ſervandæ. Diſp. 5. *à* num. 31.

Abſolutio properata quæ ſit. Diſp. 11. n. 54.

Abſolutio peccatorum quantò labore meretur quæri. Diſp. 5. n. 23.

Abſolutio duplex una ſolius culpæ, altera etiam pœnarum quarundam, & an utraque ſimul conceſſa ab Eccleſia veteri. Diſp. 3. n. 26. D. 5. n. 19. D. 5. *fere* per *totam*.

Abſolvendi formula deprecativa olim uſurpata, ut dicitur. Diſp. 11. n. 16.

Alexandri Papæ III. diſcreta ſententia in cauſa occulti Pœnitentis. Diſp. 7. n. 21.

S. Ambroſius ſolemnem pœnitentiam ſemel tantantum fieri docet. Diſp. 5. n. 27. *Hortatur ad pœnitentiam conſtantem*. Diſp. 8. nu. 5. *Theodoſium expellit ab Eccleſia, & curat*. Diſp. 9. n. 51. *Pœnitentibus abſolutis facultatem accedendi ad Communionem dari dicit*. Diſp. 11. n. 27.

Antiqua jura tuenda. Diſp. 5. n. 27.

S. Auguſtinus docet eſſe magnam pœnam deſeri impunitum. Diſp. 5. n. 13. *Verè pœnitentem de ſalute certum reddit*. *ibid*. *Dum agit de Pœnitentia agit ſæpè de Sacramento Pœnitentiæ*. Diſp. 5. n. 22. *Reddit rationem, cur ſolemnis pœnitentia non iteraretur*. Diſp. 5. n. 16.

Digitized by Google

n. 16. *Commendat Dei miſericordiam in Relapſos*. Diſp. 5. num. 17. *Monet peccatorem converſum ne relabatur*. Diſp. 5. n. 22. *Hortatur ad pœnitentiam, & Confeſſionem*. n. 22. & 23. *Redarguit inſcitiã Paganorum improbantium, quod in noſtra Religione Peccatores abſolvantur*. Diſp. 5. n. 24. *Docet abſolvendos eſſe etiam Relapſos*. *Ibid.* *Sola manifeſta peccata puniri publicè*. Diſp. 7. n. 15. *Publicam pœnitentiam ſolitam fieri à ſolis criminoſis*. Diſp. 7. n. 22. *Et pro delictis publicis, & ſcandaloſis*. Diſp. 8. nu. 16. *Correctionem in ſecreto faciendam docet*. Diſp. 8. n. 17. *Pœnitentiam non eſſe ſitam in habitu externo, aliiſque hujuſmodi, ſed in mutatione morum*. Diſp. 9. num. 50.

B

B*Alſamon quid dicat circa obſervantiam canonum Pœnitentialium*. Diſp. 9. nu. 31.

S. Baſilii aliorumque Patrum canones Pœnitentiales. Diſp. 9. n. 1. &c.

Benigntais adhibenda cum Pœnitentibus. Diſp. 2. à n. 2. Diſp. 3. n. 20. *Adhibita à S. Chryſoſt.* Diſp. 5. num. 29. Diſp. 9. num. 57.

S.Bonifacius Mog. Ep. jubet ſtatim abſolvi Pænitentes. Diſp.9. num.47.

C

CAnones Pænitentiales SS. Baſilii, & aliorum. Diſp. 9. n. 1. *An ſint ipſorum*. n. 17. *An ſapienter conditi*. n.30. *An recepti*. n.30. 31. & 32. *An fuerint purè directivi*. num.32. 33. & 34. *An executioni mandati*. num. 35.

S.Carolur permittit abſolvi quandoque qui occaſionem non deſeruit, ſed promittit. Diſp. 5. num. 37.

Catechiſmus Rom. docet, quando abſolvi Pænitens poſſit. Diſp.5. num.36.

Clericis pænitentia ſolemnis negabatur, non verò pænitentia, & abſolutio privata. Diſp. 1. *per totam*. *Iidem tamen, uti etiam Monachi in graviora prolapſi ſeverè puniebantur*. Diſp. 1. num.3. Diſp.10. num.9.

Climacus carcerem horridum deſcribit, & Pænitentium ibi detentorum labores. Diſp. 1. n.5. & Diſp.9. num.5.

Cæleſtinus I. jubet omnes Pænitentes abſolvi in morte, & hortatur ad benignitatem. Diſp.3. num. 17.

Com-

Communionem dandam Reis ad mortem damnatis. Diſp.4. *per totam*. *Denegatam olim criminoſis*. Diſp.3. num.5. *Nulli negandam in morte*. Diſp.2. 6. & Diſp.11. num.50. *Nec in vita facilè negandam*. Diſp.9. num.25.

Concilium Arelatenſe I. an fuerit confirmatum Diſp.3. num.4.

Concilium Eliberinum quale fuerit. D.2. n.8.

Concilii Nicæni decretum de S. Viatico nemini negando. Diſp.2. n.6. & Diſp.11. n.50.

Concilium Trident. confirmat decretum antiquum de omnibus Pœnitentibus in morte abſolvendis. Diſp. 2. n. 6. *Docet non fore prudentem legem obligantem ad publicam delictorum occultorum Confeſſionem*. Diſp.6. n.20.

Confeſſarius diſponat Pœnitentem indiſpoſitum. Diſp.5. nu.43. *Intrepide reiiciat indignum*. Diſp.9. num.11.

Confeſſio ſecreta, & auricularis ſemper uſurpata. Diſp.6. num.18.

Confeſſio publica peccatorum etiam latentium an olim iujuncta Fidelibus. Diſp. 6. *per totam*. *An poſſit injungi*. Diſp.6. n. 20. & 21. *Facta laudabiliter à Potamio Epiſc.* Diſp. 6. n, 1. *Imprudenter facta à Matrona Conſtanipol.* num.1.

Confeſſionem ex pudore ommittentes increpantur à Tertulliano,aliiſque Patribus. D.6.n.5.*&* 6
Correctio facienda in ſecreto . Dıſp.8. n. 17.
S.Cyprianus refert ab aliquibus Epiſc. Aphrica. nis negatam fuiſſe veniam Mœchis . Diſp. 2. n.8. *Ipſe eam negat ſerò pœnitentibus* . D. 3. nu. 2. *Reliquis dandam docet* , *&* *redarguit Epiſcoposquaſdam in hoc nimis rigidos*.D.3.n. 14. *Defendit Cornelii Romani Pontificis benignitatem in cauſa Trophimi* . Diſp.9. n.28 *&* 46. *Refert* , *multos qui ſacrilegè communicabant,à Deo miraculosè punitos fuiſſe.* Diſp. 9. num.38.

D

DEI miſericordia in Peccatores celebratur à S.Leone Papa Diſp.3. n. 20. *Eadem in Relapſos celebratur à S.Aug.* Diſp.5. n.17.
Deus condonat omnes culpas . Diſp.2. n.3.
Dilatio Abſolutionis . v. *Abſolutinem differre* . *Abſolutio dilata* .
Diſponi Pœnitens debet à Confeſſario v. *Confeſſarius* .
Diſpoſitio Pœnitentis qualiter debeat innoteſcere Confeſſario v. *Confeſſarius* .

Do-

Doctrina Fidei ſucceſſivè explicatur ab Eccleſia, & Fidelibus credenda proponitur. D.12.n.7.
S. Dunſtanus gravem pœnitentiam imponit Edgaro Reg. Diſp.9. num.12.

E

E*Ccleſia per duo fere ſæcula ab exortu ſuo fuit potius benigna, quam ſevera*. Diſp.9. n.18. *Poſtea ſeverior fuit per aliquot ſæcula, & cur?* Diſp.9. num.22.
Edgarus Rex gravi pœnitentia curatur à Sancto Dunſtano. Diſp.9. num.12. & 53.
Epiſcopi pro reis intercedebant. Diſp.5. n. 17. & Diſp.7. num.16.
Eucharistiæ virtus ad remittenda peccata à Doctoribus commendata. Diſp.3. num.27.
Excommunicatio in Renuentes agere publicam Pœnitentiam. Diſp.10. num.1., 2. & 3.

F

F*Elix Papa III. ſolemnem pœnitentiam in ſtationes diſtinctam imponit*. Diſp.1. n. 4.
Fidei Doctrina, magis explicatur, in dies ab Eccleſia. Diſp.12. num.7.

Fo-

Forum duplex fuit ſemper in Eccleſia. Diſp. 12. num.30.

G

GRegorius II. *optimè deſcribit, qua ratione curentur ab Eccleſia Pœnitentes*. Diſp. 10. num.7.

Gummarus Huighenius omninò negandam abſolutionem Relapſis docet. Diſp.5. n. 30.

H

HEnrici II. *Angliæ Regis Pęnit. pro cæde S. Thomæ*. Diſp.9. num.16. & 52.

Henrici III. Imperatoris ſatisfactio exhibita B.Greg. VII. Diſp.9. num. 14. & 52.

S. Hieronymi judicium circa Canones Pęnitentiales. Diſp.9. num. 32.

I

IMpoſitione *manuum Sacerdotis ſuper Pęnitentes quid ſignificaretur*. Diſp. 11. n. 20.

Innocentius I. pęnitentialem rigorem temperat. Diſp.3. num.5. *Dicit, abſolvi conſueviſſe in*

in Cęna Domiui omnes Pęnitentes. Diſp. 8. num.8.

Inquiſitionis Sacrę Tribunal qua ratione ſe gerat cum Relapſis. Diſp.5. num.3.

Jo. Aurelianenſis Epiſcop. dolet quod perrari publiicam pęnitentiam peragerent. Diſp.9. 42. & 47.

S. Jo: Chryſoſtomi benignitas in Peccatores: inde accuſatus. Diſp.5.n.29. *Idem pœnitentiam benignè, & cautè imponendam docet*. Diſp.9. num. 57.

S. Jo: Evangeliſta juvenem perditum quærit, & ad Pænitentiam blande adducit. Diſp.2. n.5.

Julius I. docet, omnes in morte eſſe abſolvendos. Diſp. 3. num. 7.

Jura antiqua ſervanda. Diſp. 5. num. 27.

L

S. *Leo dicit Presbiteros & Diaconos non eſſe ad Pænitentiam admittendos*. Diſp.1.n.1. *Jubet omnes etiam ſerò pœnitentes abſolvi, & hortatur ad benignitatem*. Diſp.3. n.20. *Jubet abſolvi in aliquo eventu proximos morti qui ſignificare tunc ſua vota non poſſunt*. Ibid. *Redarguit quoſdam obligantes ad publicam*

con-

confeſſionem. Diſp.6.n.8. *Et alios facile denegantes communionem.* Diſp.9.n.25. *Monachum factum militem, vel uxoratum puniri mandat.* Diſp.9.n.34. *Eos qui differebant publicam pœnitentiam patienter expectari vult*. Diſp.10.n.13. *Poteſtatem Sacerdoti datam ad remittenda peccata celebrat* Diſp. 11.n. 24. *Monet non eſſe differendam pœnitentiam*. Diſput.11.n.47. *Docet ſufficere confeſſionem ſecretam.* Diſp.6.n. 18. & Diſp. 12.n.12.

Ludovici Pii Imperatoris pœnitentia apud Compendium. Diſp.9.n.15. & 52.

M

Magalonenſis Epiſcopi epiſtola pro quodam Pœnitente. Diſp.9. num.10.

Martyres & Confeſſores intercedebant pra lapſis. Diſp.9. num.44.

Monachi, & Monialis in quædam enormia peccata lapſorum pœnitentia. Diſp.1. num, 4.

Monaſticæ Diſciplinæ, & Pœnitentiæ addicebantur olim Clerici in quædam crimina lapſi. Diſp.1. num. 3.

Mortis tempore omnes Pænitentes abſolvendi. Diſp.2. num.3.

Occul-

O

Occultorum ſcelerum confeſſio aut Pænitentia vid. *Confeſſio*.

Occulta delicta puniri publice poſſunt in foro externo, ſecùs in interno, reo reluctante. Diſp.7. n. 7. & Diſp. 12. n. 19.

P

Peccatores benignè recipi mandant Apoſtoli; Diſp. 2. n. 2. *Benigne eos recipit D. Paulus & Jo: Evang.* Diſp.2. num.5.

Peccata omnia remiſſibilia ſunt. Diſp. 2. n.3.

Petrus Bleſenſis Abbatem nimis rigidum redarguit - Diſp.9. num. 27.

Petrus Damiani neſcio quid ex Confeſſario ſibi proditum refert. Diſp.12. n. 4. & 13. *Ejus doctrina circa ſigillum confeſſionis.* Ibid.

Pius V. Reis damnatis ad mortem Euchariſtiam miniſtrari jubet, antequam ſupplicio afficiantur. Diſp. 4. in fine.

Pœnitentia ſolemnis qualis eſſet. Diſp. 1.n.3.& n.4 Diſp.9.n.1. *Quam longa imponeretur.* Ib. *An iterari poſſet.* Diſp.5.n.1. 16. & 17. *An expe-*

expetita ab aliquibus n.12.& 14. *Erat velut alterum Baptiſma.* Ibid. & Diſp.11.51. *Negata Clericis.* Diſp. 1. n.1. &c. *Quam pauci illi ſe ſubmiſerint.* Diſp.9. nu. 37. *Quandiu duraverit in Eccleſia.* Diſp.9.à num. 35.

Pœnitentia publica pro delictis occultis an olim injuncta Diſp.7. per totam. *An poſſit injungi.* Diſp.7.n.6.&c.Diſp.8.n.20. & Diſp.12. n. 16. &c. *An olim injuncta pro quibuslibet delictis.* Diſp. 8. per totam.

Pœnitentiam longam & aſperam an verè impoſuerit vetus Eccleſia etiam reluctantibus, & Fideles eam peregerint. Diſp.9. per totam. *An fuerit in ea ſepe diſpenſatum, & cur?* Ibid. *An per Principes ſeculares fuerint Rei ad pœnitentiam compulſi.* Diſp. 10. *An acceptata deſeri poſſet.* Diſp.9. num.6.

Pœnitentia infirmis quibus ceremoniis daretur. Diſp.3. num. 5. & 7.

Pœnitentia gravis impoſita Principibus. Diſp.9. num. 12. &c.

Pœnitentiam Sacramentalem nomine Pęnitentiæ ſubinde ſignificat D. Aug. Diſp. 5. num.22.

Pœnitentię voluntarię ingens exemplũ. D.1.n.8.

Pęnitentiam differendam non eſſe. Diſ.11.n.47.

Pęnitentia ſit conſtans. Diſ.8.n.5.D.9.n.1.& 6.

Pęni-

Pęnitentiæ imponendæ regulæ quædam proponuntur. Diſp. 9. nu. 56. *Potius benignior ſit quam rigidior*. Diſp. 9. num. 61.
Pęnitentes an eſſent vera cenſura excommunicationis innodati. D. 11. n. 3. & D. 12. n. 16. &c.
Pęnitentem indiſpoſitum Confeſſarius diſponat. Diſp. 5. num. 43.
Pœnitentes curabantur diligenter. Diſp. 10. n. 7.
Pœnitenti credendum quando ſit. Diſp. 5. n. 38.
Pęnitentium ſeceſſus in cap. Quadrageſimæ quis eſſet. Diſp. 10. n. 16. *Ad illum Fideles iuvitabantur*. Diſp. 9. n. 16.
Pęnitentium præmium & corona. Diſp. 5. n. 13.
Pęnitentiarii Sacerdotis inſtitutio, & officium. Diſp. 11. n. 15. & Diſp. 12. n. 1. & 10.
Pęnitere diù & ſeverè pro culpis gravioribus optimum, & tutiſſimum. Diſp. 8. num. 18. Diſp. 9. n. 1. Diſp. 11. n. 45.
Pęnitens ſolemniter erat irregularis. Diſp. 1. n. 2.
Pœnitentem exemplo ſuo ad acceptandam Pęnitentiam impellebat Confeſſarius jejunans cum eo. Diſp. 9. n. 59.
Pęnitentiales Canones. v. *Canones Pęnitentiales*.

Q

QVadrageſimæ tempore velut in carcere claudebantur Pęnitentes uſque ad Cænam Domini. Diſp. 10. n. 16. Aliquot diebus ante Quadrageſimam invitabantur Fideles ad Pęnitentiam. Diſp. 10. n. 16. & 17.

R

RElapſi poſt pęnitentiam ſacramentalẽ quando ſint abſolvendi, aliaque ad eos pertinenvide in verbo Abſolutio.
Reis damnatis ad mortem an fuerit olim copia Confeßarii negata. Diſp. 4. per totam. Sunt utroque ſacramento ad mortem muniendi. Ibid.
Rigidi cum Peccatoribus qui fuerint tempore D. Aug. Diſp. 5. n. 24.
Rigoris nimii exempla afferuntur. D. 9. n. 23. &c.
Rigidi Doctores ſecum benigni. D. 9. n. 60. & 62.
Romualdus Othoni Impper. gravem pœnitentiam imponit. Diſp. 9. nu. 13.

Sa-

S

Satisfactio an ſit neceſſaria ad culpæ remiſſionem. Diſp. 11. n. 24. 52. & 44. *Qualis debeat imponi* v. *Pœnitentiæ imponendæ regulæ.*
Secretum & ſigillum Confeſſionis an ſervatum in Eccleſia veteri fuerit. Diſp. 12. per totam. *Violatur obligando Pœnitentem ad publicam occulti delicti confeſſionem, vel pœnitentiam.* Diſp. 12. num. 7.
Siricius quid ſtatuat circa Clericos lapſos, & Laicos pęnitentes. Diſp. 1. n. 2. *Circa Monachos & Monachas pariter lapſos.* Diſp. 1. n. 4. *Circa Relapſos per ſolemnem pœnitentiam.* Diſp. 5. n. 11. *Retinentiſſimus juris antiqui.* Diſp. 5. num. 27.
Socratis & Sozomeni hiſtoria de Inſtitutione Presbiteri Pœnitentiarii, & de confeſſione matronæ cujuſdam. Diſp. 6. 4. Diſp. 11. nu. 26. Diſp. 12. num. 10.
Soteri Papæ decretum de communicando quinquies in anno, & Dominicis Quadrageſimæ. Diſp. 11. num. 10.
Suarius reddit rationem cur non iteraretur ſolemnis pœnit. Diſp. 5. n. 16. *Quale judicium ferre*

Digitized by Google

*ſerre debeat Confeſſarius de diſpoſitione Pœnitentis, antequam eum abſolvat docet.*Diſp.5. n. 35. *Debere eundem credere Pęnitenti &c.* Diſp.5.n.38.*Non poſſe præcipi à Confeſſario confeſſionem publicam*. Diſp. 6. n. 21. *Poſſe pœnitentiam imponi per modum conſilii, vel conditionate.* Diſp. 7. n.6. *Non debere imponi in foro interno pœnitentias publicas pro occultis delictis.* Diſp.7. n.4. *Poſſe tamen in foro externo*. D.7. n. 7. *Canones pænitentiales fuiſſe quaſdam regulas directivas.* D. 9. n.33.

T

THeodoſii pœnitentia celebratur à S. Aug. Diſp. 9. nu. 39. *An cum eo ſeverè egerit S. Ambroſius.* Diſp. 9. num. 51.

ROMÆ, MDCCV.
Ex Typographia Cajetani Zenobii.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

		ERRATA	CORRIGE
pag. 5	verſ. 19	rideuntibus	redeuntibus
6	11	monachoſque	monachaſque
8	24	millitare	milliare
9	3	miuuta	mlnuta
13	14	moachis	monachis
17	16	recepi	recipi
19	16	ſaſtum	factum
35	10	incluctabilia	ineluctabilia
39	20	marienti	morienti
75	4	ab Eccleba	ab Eccleſia
94	22	bonas	bonus
98	4	Licet & ergo	Licet ergo
190	5	eruentam	cruentam
199	4	antiquitas	antiquitatis
205	5	Si qui	Si quis
263	26	pubelle	perbelle
273	1	catehumena	catechumena
278	24	Crianos	Chriſtianos
299	13	tutiò	tertiò
318	22	temperas	tempeſtas
329	10	tam	jam

ANT 1462432

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

X 11
B.24